PROGYMNASMATA
LOGICES PVRIORI SERMONE CONSCRIPTA AVCTORE AVGVSTINO

Hunæo iuxta laudatissimum percelebris Academiæ louaniensis morem concinnata.

ADDITVS EST LIBELLVS DE DISPVTATIOne *inter disceptantes dialectice instituenda ab eodem auctore editus.*







ROMÆ
Apud Vincentium Lucrinum.
1553.

PRAEFATIO DE VSV ET NEcessitate huius opusculi.



Eritò uetus illud scholarum Philosophicarum institutum improbari non potest, hodieq; laudabili consuetudine ab omnibus Aristotelis Logica ex professo tradituris obseruatur, ut priusquàm infirmos adhuc et rudes Philosophiæ studiosorū animos ad Artis differendi penetralia perducant, quædam, de uaria acceptione terminorum (quos ut puerorum & rudium captui subseruiatur, licebit uocabula aut dictiones, aut uoces Grammaticorum more appellare, quamuis apud Dialecticos non nihil inter ea possit inueniri discriminis, si res ad seuerum unguem expendatur) præmittant.

Nam cùm Dialectica ars sit definiendi, diuidendi, & argumentandi, seu de quauis re proposita, prout eius fert natura disputandi: Id autem nemo efficere possit, nisi oratione, quæ uocibus simplicibus constat, pro instrumento utatur, eò quod res ipsas, iuxta Aristotelis sententiam, ad disputationem adferre non liceat. Nulli dubium esse potest, quantum ferat adiumenti Dialectices munus obituro simplicium uocum (ex quarum diuersitate ora

tio quoque non paruam capit uarietatem) exacta cognitio.

Ad quam non satis fuerit , qualem qualem uocabulorum significationem ex Grammaticorum præscriptis hausisse ; sed præterea cognoscere necessum est , quid quæq; uox primario , quid secundario significet , quamq; significandi angustiam alijs adiecta , quam latitudinem hoc uel illo pacto collocata , accipiat.

Quare nemo superuacaneas esse dixerit aut inutiles Dialectico futuro terminorum acceptiones ; sed eat ille , fixiusq; contempletur , quot sensus , quamq; diuersos inter se uaria uocum iunctura in tota oratione pariat.

Nisi fortassis in ædificandi ratione uariatam trabium , reliquarumq; partium structuram, ædificij ipsius aliam, atque aliam figuram arbitretur efficere : Sicut, & in Geometria ex uario, subindeq; mutato linearum ductu , non unum figuræ genus nasci . In oratione uerò , qua tanquam instrumento ad loquendi facultatem assidue uti cogitur , non idẽ usu uenire .

Nimium profectò stupidus sit huiusmodi, ac sermonis imperitus, qui non intelligit, orationis, sensum non ex singulis duntaxat uerbis , uerum etiam ex totius orationis iunctura , & situ partium colligendum esse.

Quando quidem simplex dictio , prout diuersis

ad iuncta fuerit, nunc singulare, personamue, nūc uniuersale, seu totam rei naturam denotare deprehenditur, nunc technicos pro se, aut simili accipitur. Rursus aliquando significationem extendit, etiam ad ea, quæ non existunt, aliquando cōtrahit, ut nec pro omnibus quæ existunt, significatis capiatur, prout hanc, uel illam significandi legem à uicina uoce ipsi præscribi contingit. Sunt ergo & in ueritate sermonis indaganda, & in detegenda falsitate (qui proprij sunt Dialecticæ fines) non solū singuli separatim per se excutiendi termini, sed totum ipsius orationis corpus, facta membrorum ad inuicem collatione, ut & simplicium uocum, & totius sermonis uis penitus perspiciatur.

Ex his non difficile fuerit intelligere, quanta utilitas, imò necessitas sit tractationis, de uocabulorum uirtutibus, & uariis accipiendi modis, quam in usum Iuuentutis, quæ ad Aristotelicam Philosophiam destinatur, sagax maiorum industria adinuenit, ac posteris, ueluti per manus solenni more tradidit, & Aristotelem adeuntibus explicari mandauit.

Quippe, qui irritum laborem in Aristotele enarrando omnem uidebant, & magnam fore inanemque iuuenilis ingenij uexationem potius, quàm institutionem, si sermonis ui & natura tota non ante perspecta, ad difficiles spinosæ artis præceptiones protinus explicandas professores properarent.

Animaduerterat sanè maiorum prudentia, quàm plurima ab Aristotele tradita, his neglectis perspici non posse (ut sunt Oppositorum natura, Syllogismi, Elenchi sophistici, & similia) ac ut semel dicam, nihil de quæstione quauis rectè statuere eũ qui uocabulorum uim, & energiam ignorat.

Atquè illud est, quod etiam Aristotelis confirmatur testimonio in Elenchis, ubi ostendit in disputationibus, eos, qui uerborum uim, ac proprietates ignorant, facilè, & cùm ipsi disputant, & cùm alios disputantes audiunt, falli, atque illaqueari.

Neccessum igitur erat, uel maximè ueritatis indagatoribus, eam rem curæ esse, ut in tàm uaria uocabulorum usurpatione, certa quadam discutiendæ explicandæq; orationis regula, & amussi studiosa iuuentus uteretur, qua ex tenebricosis illis latebris, & obscurissimis uerborum significationibus, & acceptionum ambagibus, ei promptum esset, autorũ uera, & germana sensa in clarã lucẽ eruere

Nequè audiendi sunt, qui scholarum institutũ hoc de exacta orationis expendendæ norma pueris tradenda, anteqũàm Aristotelis Logicem altius ingrediantur, damnant, ac huius artis professores iniquè insimulant, quòd ista in parte falcem suam in Grammaticorum messem immiserint. Si Grammatici, quod sibi proprium ac peculiare fuerat, sibi quoque, ut par erat, adsumere uoluissent, & ad plenum tradere uarias terminorum acceptio-

nes, quas partim ex se, partim ex adiuncto, partim ex totius orationis sensu admittunt, non admodum futurum erat hisce præceptionibus opus: Verùm cùm ii hanc rem ueteri, *sed mala consuetudine abs se ad* Dialecticos *magistros reiecissent*: Nostri *homines, quibus in instituenda adolescentia summa cura esset, in primis studiosè curarunt, ne sermo, quo uerum inquirimus, & falsum refutamus, quouis deflecti, & nullis certis uestigiis hûc illûc oberrare posset*. Itaq; Logicæ *scholæ meritò succensere non potest* Grammaticus, *si ex floribus, quos ipse pro derelictis habuit in tyronum suorum, & in re* Dialectica *rudiũ utilitatem, succum ad præceptionum* Artis *differendi faciliorem exactioremq́; intelligentiam profuturum exugat, atque in publicum, communemq́; usum traducat*. In *qua re præstanda ita suam operam* Philosophiæ *professores collocarunt, ut quæ leuiter* Grammatici *transmiserunt, ne dicam omiserunt, ipsi exacta quadam trutina expenderint, & quod aiunt, ad uiuum discusserint*.

Quo circa cùm in ea uersarentur harena, in qua neminem Latinorum, *qui inter classicos recensetur, sequi liceret, multa rebus uocabula imponenda occurrerunt, ut meritò æquis, & patientibus auribus ferre debeant, si qui sunt delicatioris palati, nouas nonnumquàm huius disciplinæ uoces, quas singulis artibus, peculiares esse eloquentiæ* Romanæ

parens Cicero fatetur, quibus noua, nec minus uti lis res subesse consueuit. Quod si ab eis fortassis impetrari nequeat, illi ipsi Aristarchi Latinæ linguæ, ex suo uelim depromant penu, quæ harum rerum naturam propius ob oculos ponant.

Atque hæc uerbosius forsan, quàm par est: sed suggerenda erant charissimis discipulis nostris argumenta, quibus se se muniant, ac studia sua comprobent aduersus eos, qui hanc partem falsò criminantur.

Cæterùm ingenuè fatendum est, orationis exactè expendendæ rationem, ex probatorum autorum usu petendam esse, non ex subtilibus illis magis quàm ueris superioris sæculi Dialecticorum regulis, secundum quas nimis profectò superstitiosè uerborum sensa contra Grammaticam, & usitatam rectè loquentium consuetudinem, reddiderunt ii, qui ob temporis iniuriam sermonis imperitia laborabant. Qui si meliorem nouissent linguam, utique ei attemperassent suos canones; & qui in eius linguæ uerbis, atque communi eruditorum sensu obseruassent, tradidissent: nec ita sibi linguam, & uoces, & sensa, quorum nullus sit usus, cum nemo sic curet loqui, confinxissent.

Aduerterant rectè illi necessariò, aliquam exactius examinandæ orationis normam iuuentuti tradendam esse, quam Grammatici non satis uidebantur tradidisse, sed modum non tenebant, infini-

tà præcipientes, & sua magis somnia, quàm usũ linguæ alicuius, quod minime faciendum erat, sequentes. Nam quod dicunt, ego sic concipio, hoc uerò nihil ad Dialecticam, *quæ est de sermone & præcepta continet in communi linguæ usu obseruata.*

An cùm mihi dicitur, *Theologus est homo morosus, spectare debeo, quid intelligat indoctus, qui morosum capiat pro benè morato, & non potius quid in lingua Latina signet: sic de illius Propositionis falsitate iudicaturus.*

An adeò impius futurus sit quispiam, qui Christi *sententiam, Pauperes semper habebitis uobiscum, quod, secundum regulas istorum, ueritati non consonet, falsam iudicare audeat, cùm nec ipsi iidem, quibus nescio quis deus tot huiusmodi regularum myriadas in mentem misit, nec etiam alij aliter loquantur.*

Certè Cicero de Legibus, *uera & falsa sua sponte, non aliena iudicantur,* dicit: De *quo in alijs fortasse, quos meditamur libris, disputabimus copiosius.*

Quantum igitur inueterata scholæ consuetudo, & nostræ eruditionis tenuitas permittent, pleraquè tum sermonis, tum regularum uitia, quæ ab omni ratione, & loquendi, & intelligendi abhorrent, aut mutabimus, aut iudicabimus hoc libello: Seruaturi interim, *quæ bona sunt, & à*

Latinæ linguæ usu non recedunt, eaque cultius expli caturi.

Ita quoque totum hunc tractatũ moderabor (fauente Deo *) ut nec breuitas obscuritatem, nec copia fastidium meritò cuipiam parere queat: neque magicas Sophistarum præceptiones, hic per omnia sequuturus, neque rursum damnaturus in totum, quæ his de rebus præcipiuntur, quemadmodum hodie quidam solent: ob id maximè disciplinam aliquã & Artes potissimum, aspernantes, quod inspiciãt, atque perpendant magis, quàm abuti arte sua, aut uerius, non uti omninò, professores ipsi consueuerint, quàm contra quis uerus artis usus aut sit, aut labore queat inuestigari.*

Hæc præfati, ad rem accingamur. Et quia omnis hæc institutio de Terminis *tanquàm præcipua materia futura est, non abs re fuerit, à* Termi*ni finitione exordiri.*

DE DEFINITIONE TERMINI CAPVT I.

Terminum Aristoteles*, quem ducem ubique libenter sequimur, ita ferè describit in* Prioribus *Analyticis.*

Terminus est, in quem resoluitur Propositio, ut Prædicatum, uel Subiectum

Quemadmodum huius Propositionis*, Sapiens est diues,* Termini *sunt, Sapiens atque diues, ob*

id ſanè, quod in eos tanquàm in partes principaliter ipſa reſoluatur. Et dicti ſunt in Propoſitione Termini ad ſimilitudinem Terminorum in agris. Nam quemadmodum bis ager finitus deſignatur, ita Subiecto & Prædicato abſoluitur Propoſitio. Terminos Ariſtoteles in Topicis uocat, quaſi extrema enunciati, τὰ ἄκρα, Cuiuſmodi ſunt ſimplices in primis & ſignificantes uoces, in quibus principem locum tenent Nomen & Verbum.

Hic obiter ſuffecerit, admonuiſſe, ad prædictam Termini definitionem plenius intelligendam, quid Propoſitio ſit, quid Subiectum, quid Prædicatum. Nam exactius hæc declarare, alterius eſt loci.

Et, ut ex Grammaticis cognitis fiat ad Logica intelligenda; uelut manu ductio quædam (quod pluſrimum in inſtituendo Dialectico conferre uſu didicimus) Propoſitio hîc dicitur, quæ apud Grammaticos ex Suppoſito, & Appoſito, ex nomine nimirum, & uerbo conſtituta eſt oratio: ut uirtus nobilitat. Nomen priorem partem propoſitionis occupat, quam Ariſtoteles uocat Subiectum, Grammatici Suppoſitum, ut uirtus. Verbum poſteriorem partem tenet, quam prædicatum uocant; Grā matici Appoſitum; ut nobilitat. Neque tamen Verbis tantum utimur, ſed etiam Nominibus, quæ tamen Subiectis ſunt adnectenda per uerbum ſubſtantiuum, quod copulam uerbalem appellant; quia Prædicatum cum Subiecto copulat: Cicero

Tusculanis, *Virtus est affectio animi constans cõueniensq́*, *laudabiles efficiens eos in quibus est.*

Continetur itaque prædicta Termini *descriptione ea duntaxat uox, quæ, aut* Subiectum, *aut* Prædicatum Propositionis *esse potest. Quare angustior est hæc* Termini *acceptio, quàm ut proposito satisfaciat. Nemo proinde turbetur, si præter simplices dictiones, & significatiuas adferamus alios terminos, etiam non significatiuos, uel saltem consignificatiuos tantum, &* Syncategorematicos, *cum adeò latè hoc loco* Terminum *extenderint ueteres* Dialectici, *& ad plurima, quæ nec* Prædicatum, *nec* Subiectum *esse queant laxauerint. Quod eo potissimum consilio monemus, ut nihil etiam horum lateat tyrunculos, quos iam decreuimus erudire & prouehere ad* Logica Aristotelis, *atq́; ob id* Aristotelis *propemodum uestigijs insistentes, res ab eo mutuabimur, tantum in definitionibus uerbis utemur ad puerorum, & rudium captum magis accommodatis:* Interim *tamẽ nihil, aut admodum parum discedemus à uocibus definiendis, quibus cæteri usi sunt, qui terminos scripserunt, nisi quòd tersius & luculentius simus usurpatas à maioribus uoces interpretaturi, abiectis obscuris, superstitiosis, & monstrosis definitionibus, qualis erat olim illa* Termini *nobis prius ex* Aristotele *clarissimè definiti.*

Terminus *est signum ponibile in* Propositione *consueta, tanquàm pars eius propinqua. Quis hic*

non rectius intelligit Termini nomen, quàm reliquum quod Terminum definit?

DE DIVISIONE TERMINORVM CAPVT II.

Plurimas Terminorum differentias ueteres excogitauere, nobis interim sat uisum est, superque futurum si utiliores magisq; necessarias tradiderimus. Et in primis occurrit generalis illa Termini diuisio.

Terminus { Mentalis. Vocalis. Scriptus.

Mentalis, qui mente cogitatur, ut Terminus (homo) animo cuiuspiam comprehensus, & aliae animi notiones, atque (ut uocant) conceptus: quos duplices esse uolunt, ultimatos, sic enim nominant & non ultimatos.

Vltimatus conceptus est, cum animo perpendimus rem significatam per uocabulum aliquod absque ipsius uocabuli consideratione.

Conceptus uerò non ultimatus est, cum de uocabulo ipso tantum cogitamus, nihil interim de rei imagine, ac similitudine in animo expendentes.

Hinc dictus haud abs re, non ultimatus, quòd sic consyderando Terminum non sit cogitandi finis, sed ad rem significatam post hac animus progrediatur. Exempli gratia: Prolata hac Græca uoce Basileus apud Latinum Græcarum literarum apprehensa uoce, animus auditoris non quiescit, sed ad cogitationem rei significatæ progreditur, non prius conquiescere ualens in eius dictionis contemplatione, donec ad cognitionem rei significatæ peruenerit, atquè hic ultimam ueluti sedem fixerit: unde non immeritò conceptus rei, ultimus, siue ultimatus nuncupatur.

Vocalis Terminus, est uocabulum ore *pronunciatum, ut uox homo cùm profertur.*

Scriptus, est dictio literis effigiata, vt *scriptura (homo) quacunque in materia formetur siue papyro, siue ligno, siue ære, siue lapide, & quocunque instrumento.*

De Termino uocali, & scripto ferè subticuissem, eò quòd eorum significatio nemini non sit obuia, nisi mihi deliberatum esset, in qualicunque hoc opusculo, non solum prouectiores ad altiorem Philosophiæ inuestigationem subuehere, uerum etiam tenuioris captus imbecillitati, meipsum, quoad eius fieri potest, accommodare.

Pulchro hæc tria cohærent ordine, mens, uox scriptura, ut obiter hoc addamus, Mentem primũ natura instituit: deinde uocem: postremò scriptu

ram prodidit industria humana. Vocem quidem habemus, ut mentis indicem: Scripturam, ut uocis supplementum, ita, ut quod uiua uoce exponere nequimus, uel erubescimus, id scriptis significare possimus, uel audeamus.

Vocalem Terminum subdiuidunt, in Significatiuum, Consignificatiuum, (uel (consuetis uerbis) in Categorematicum, Syncategorematicum) & ex his mistum.

Terminus uocalis. — Categcrematicus. / Syncategorematicus / Mistus.

Terminus Categorematicus est, uox per se se significatiua extra orationem vt, *homo ex ui suæ significationis designat animal rationale, etiam si non ingrediatur orationem, Græci hunc terminum uocant Catigorima, Latini significatiuum.*

Terminus Syncategorematicus, est uox consignificatiua, *Hoc est, quæ nullam per se rem designat, sed duntaxat cum dictionibus significatiuis orationem ingressa illis specialem significandi modum tribuit; ut dum dico, Omnis homo est animal, nihil quidem uniuersale ibi signum designat; non tamen esse otiosum arguit uox homo, cuius significationi modus quidam accessit, ut non absolute, sed uniuersaliter sua significata repræsentet. Huiusmodi igitur sunt, Omnis, Quilibet,*

Nullus, Aliquis, Quidam, Hic, Ille, Vtinam, Quidem, Apud, Heu, & huiusmodi sexcenta, quæ, uel signa sunt uniuersalia, uel particularia, uel Coniunctiones, Præpositiones, Interiectiones. Quædam insuper Aduerbia, denique, & pronomina primitiuæ speciei, suis substantiuis adiuncta, atq; adiectiuè accepta, Syncatigoriam Græcè, Latiné Consignificatiuum.

Terminus mistus est, qui ex Categoremate & Syncategoremate conflatur, *ut qui non est purè consignificatiuus; sed simul etiam alicuius rei significatiuus, ut, nemo idest, nullus homo. Nihil, id est, nulla res. Semper, id est, omni tempore. Vbique, id est, omni loco. Nusquàm, id est, nullo loco, & sic de id genus alijs tùm Nominibus, tùm Aduerbijs.*

Aduertant studiosi, sublatis Categorematis, Syncategoremata significationis expertia esse, non aliter atque membrum à reliquo corpore resectum, exangue est, omnique suo uigore destitutum, ut signum Omnis, uel Quilibet, uel Aliquis, quid quæso designabit, nisi cuipiam dictioni significatiuæ adijciatur? Nihil profectò. Verum, cum dicitur, Omnis homo; tum homo per additamentum signi uniuersalis induit aliam affectionem, nimirum ut uniuersaliter sumatur: Omnis enim non rem uniuersalem; sed uniuersaliter eam designat, ut habet Aristoteles in primo Perihermenias.

Sub

Sub diuisio Termini Categorematici.

Terminus Categorematicus subdistinguitur hoc modo.

Terminus Categorematicus. — Singularis, / Communis.

Terminus singularis est, cui plus*quàm unam rem designare repugnat, ut, Petrus, hæc arbor, isque apud Logicos, alio nomine, censetur individuum, uel Terminus discretus; apud Grammaticos nomen propriæ qualitatis.*

Terminus Communis est uox simplex, quæ multis attribuitur iuxta eandem *rationem significandi; ut animal dicitur de homine, leone, boue, & huiusmodi. Homo enim æqué animal est, atqué leo, aut bos. Animalis præterea ratio ex æquo homini, leoni, & boui communis est, & ita de singulis animalium generibus. Hūc Terminum, alio nomine, licebit appellare Prædicabile, hoc est, uocem quæ alijs uocibus explicandis accommodatur, uel Vniuersale, uel ut Grammatici, nomen Appellatiuum, hoc est, per quod alia suam appellationem sortiuntur, ut species animalis appellantur animalia.*

DE REGVLIS DIALECTICORVM, PRO DIscernendis cõmunibus Terminis à singularibus Caput III.

Cæterum, ut plenius intelligant Studiosi, quas uoces pro Terminis singularibus Dialectici habeant, aliquot eorum regulas ponemus, quarum Prima hæc est, Omne nomen propriæ qualitatis est Terminus singularis, seu discretus *quamcunque rem designet, siue hominem, siue equum, siue aliam animalis speciem, siue montem, fluuiũ oppidum, regionem, siue quoduis aliud; ut, Virgilius, bucephalus, lycisca, dilia, athos, athlas, Louanium, Brabantia, & similia omnia.*

Secunda regula est, Quoduis nomen appellatiuæ qualitatis fit Terminus *singularis, appositione pronominis demonstratiui primitiuæ speciei.*

Vt cum dicimus, hic homo, hoc animal, hæc substantia. Nam, & à genere, & à specie, ex æquo singularis terminus Pronominis accessione deduci potest. Dixi, cum pronomine primitiuæ speciei, quandoquidem illa deriuatiua non singulares Termini sunt, sed communes, & substantiuum pro inde commune relinquunt, ut codex meus quemlibet è meis libris significat, ut quolibet ostenso uere dixeris, hic est codex meus. Quàmuis enim à primitiuo singularem habente significationem deriuentur: attamen ipsa non proinde singularia euadunt, sed communem possessionis significationem retinent.

Eiusdem rationis omnino uidentur esse quæ à no

mine alicuius loci proprio defluxerunt, ut Romanus à Roma; cum uerè dicimus; facundiam Romanam; Ciuem Romanum; nec alter sit ciuis Romanus Cicero quàm Milo; & in alijs consimili modo.

Nec aliena ab his esse etiam illa crediderim, quæ à particulari familia communem sortita uidentur appellationem, ut Martius, Saturnius, Paulinus; tametsi non negauerim, hæc nonnunquàm ut propria usurpari.

Hæc autem; luna, sol, phœnix, aliquis homo, aliquis equus, nequaquàm esse terminos singulares, uel significatio ipsa communis palam arguere uidetur; ut prolixius circa Speciei & Indiuidui definitiones, apud Porphyrium debet explicari.

TERTIA REGVLA.

Terminus alioqui communis itaquoque singularis efficitur, si per appositionem, quam Grammatici uocant singularem & terminum adiunxeris in eodem numero, & casu, aut si relatiuum qui, quæ quod intercedat.

Prioris exemplum est, uirgo Maria, Apostolus Paulus, Philosophus Aristoteles, & c. Posterioris exemplum; equus Alexandri qui est bucephalus.

phalus.

Consulto adiecimus (in eodem numero, & casu) Alioqui enim Terminus communis permanebit; ut liber Aristotelis; Equus qui est Alexandri magni, quæ de multis uerè dicuntur.

Quin, & in eodem casu interim adiectum relatiuum, præcedentem Terminum relinquet communem, ut homo qui non est Petrus, quæ uox uerè & uniuocè de multis prædicatur, id quod ex eo prouenire quispiam haud falsò putet, quod aggregatum ex singulari nomine, & negatione, quam infinitantem uocant, secundum totam significationem est commune, & de omni eo dici natum, à quo singularis Termini significatio remouetur, ut sequentia fusius declarant.

QVARTA REGVLA

Omne copulatum singularibus constans Terminus si copula (&) copulatim sumatur pro singulari Termino habetur.

Verbi gratia, si dicam Orestes, & Pilades fuerunt memorabile par amicorum, subiectum pro singulari Termino capietur, nequé enim obstat, quòd pro duobus hominibus capiatur, quando non potest diuisim, & separatim de multis, ut loquuntur, uerificari; hoc est uerè dici, seu attribui. Id quod

ex Vniuersalis & Indiuidui descriptione manifestus euadet.

Quod initio Regulæ dictum est (copulatum) indicat omne disiunctum esse Terminum communem, nisi è singularibus Terminis, illisqué per omnia synonymis componatur, ut hoc (Virgilius uel Cicero) communis Terminus est, quia separatim de utroque prædicatur.

Nam, & hic (altero demonstrato) est Virgilius, uel Cicero, & ille (ostenso altero) est Virgilius, uel Cicero.

Hoc autem disiunctū, Tullius, uel Cicero, est Terminus singularis, quia idem plané Tullius, & Cicero significant, nequé de multis proinde reuera diuersis prædicantur.

Secundo adiectum est, singularibus constans Terminis, ut ostenderetur, alioqui copulatum esse Terminum communem, siue utroque communi, siue altero singulari, & altero communi Termino constet, ut illud: Orator & Philosophus de multis diuisim acceptis dicetur. Nam hinc Tullio, & Aristotele, hinc Demosthene, & Platone demonstratis uerè dicas, hi sunt Orator, & Philosophus.

Illud quoque, homo, & Socrates, communis Terminus est, prædicaturqué de multis diuisim, ut pote Socrate, & Aristotele. Rursum Socrate, & Theophrasto, quorum utrislibet ostensis, uerè dixeris, hi sunt homo & Socrates.

Postremo adiectum est, si coniunctio (&) copulatim sumatur, ad indicandum non singularem, sed communem fore Terminum, si diuisim (&) capiatur, quale est hoc: Socrates, & Aristoteles discipulos habuit beneuolos, quod subiectum, & pro Aristotele seorsum ueram reddit propositionem, quamuis nequeat per se de utrolibet seorsum praedicari: quemadmodum subiectum huius: Omnis homo est mortalis, pro singulis diuisim hominibus capi censetur, etiam si nullo demonstrato uerum sit dicere, hic est omnis homo, tollenda namq; uniuersalis nota est, priusquàm fiat (ut loquuntur) uerificatio, ac deinde ita pronunciandum, hic est homo.

Atque haec ipsa res, ut eadem prorsus in copulato habenda esse uideatur, quàm potest fieri breuissimis distinguendum nobis est Copulatum, idque ex uaria acceptione Coniunctionis copulatinae, quod & Grammatici paucis indicant circa constructionis figuram Zeugma.

CAPVT QVARTVM.

De distinctione Copulati pro uaria acceptione coniunctionis copulatiuae.

&, capitur — Copulatim. / Diuisim.

Copulatim accipitur (&) quoties attribuitura lterum extremum toti copulato,

non autem ſingulis copulati partibus ſeorſum acceptis,

Verbi gratia, Septem & tria ſunt decem, ſignificatur numerus denarius, non partibus ſed toti conuenire.

Diuiſim, &, accipitur, cum alterum extremum ad ſingulas Copulati partes refertur, ſeparatim ac ſingulatim *acceptas, ut Horatius & Virgilius fuit poeta, & proinde propoſitio uera euadit, pro utraque partem ſeorſum ſumpta, quando hic eſt ſenſus, Horatius fuit Poeta, & Virgilius fuit Poeta.*

Hoc autem utroque modo dicunt, ipſam Coniunctionem copulatiuam accipi categorice, hoc eſt, ut partes copulet in Categorica propoſitione. Porrò *Hypothetice eadem accipitur quoties non Terminos ſed propoſitiones integras connectit conſtituens Hypotheticam copulatiuam, de qua in primo libro Peri hermenias circa tractatum de enunciationibus, eſt latius differendum.*

Quod uerò ad priores duas acceptiones pertinet, hoc inter eas eſt diſcriminis, Quod (&) copulatim acceptum pars manet propoſitionis, & in uerificatione copulati non eſt reyciendum.

Quare nec Hypothetica propoſitio ex tali Categorica inferri poteſt, quoniam ut uera ſit Categorica, plerunque tamen propoſitio Hypothetica falſa erit, quem admodum ex propoſito illo exemplo

constat, septem & tria sunt decem, ex qua si Hypothetica intuleris, falsa erit, quod hæc ostendit: Septem sunt decem, & tria sunt decem. E contrario copula (&) sumpta diuisim non magis pars erit Propositionis Categoricæ quàm alia quælibet uniuersalis nota.

Abijcienda quoque idcirco est in uerificatione copulati, atque in eis locum coniunctio (uel) subroganda. Nimirum ut partes aliquo uinculo cohærentes propositionem neque ineptam, neque plures ut uocat Aristoteles, efficiant.

Illud ergo copulatum, virgilius & Ouidius, de utrolibet ostenso uerificabitur, hac ratione, hic est Virgilius, aut Ouidius.

Quamobrem; & Hypotheticam propositionem ex huiusmodi Categorica rectè intuleris, salua utriusque interim ueritate, ut uerbi gratia: Ex superiori propositione Vergilius & Horatius fuit poeta, inferas hanc, Virgilius fuit poeta, & Horatius fuit poeta.

Aduertant hic non modo Logices, sed literaturæ politioris & Grammatices studiosi.

Quod copulato, in quo (&) copulatim sumitur, probati autores ferè dent uerbum plurale, ut hic, septem & tria sunt decem, non autem est.

Dixi (fere) nam singulari quoque uerbo contentum est nonnunquàm huiusmodi copulatum.

Si, nimium identitas (ut Grammatici loquuntur) inter partes copulati fuerit, quale hoc est: Anima rationalis & caro unus est homo, quan quàm & hic plurali numero non inepte utaris, ut ex superiori exemplo manifestum est, ubi pe rinde identitas significatur. Septem enim & tria unius denarij sunt partes, ut anima & caro unis us hominis.

Si autem diuisim, (&) capiatur, fere iun gunt copulata uerbum numeri singularis; ut Ari stoteles & Plato fuit philosophus. Et quæ plu ra Grammatici adferunt circa zeugmatis rationem.

Atque hoc quoque non esse perpetuum ex eo liquet quod adiuncto pluralis numeri uerbo, di uisim accipi, (&) possit. Quare ut discrimen exactè percipiatur, hac opus est distinctione.

Quoties uerbum singulare adiungitur copulato (&) ferè diuisim capi solet, nisi ad signan dam identitatem copulatim usurpetur ut modo est ostensum in illo, Anima & caro unus est ho mo. Quoties contra uerbum est plurale, copu latum utroque potest accipi modo.

Copulatim accipitur hic, duo & tria sunt quinque. Diuisim hic, Leones & cuniculi sua habent latibula in syluis, significatur enim & leonibus sua esse spelæa, & cuniculis suas itidem esse caueas.

Verum quoniam anceps & arbitraria esse ista uocis significatio uidetur, ad perfectam huius rei, discretamq; cognitionem, hoc pro certissima regula potest haberi.

Copulatim dictio (&) accipitur quoties uerbi significatio toti competere non partibus designatur. Diuisim *capitur, si in singulas per se partes uerbi significatio ferri putatur: utroq; modo promiscue sumitur quoties uerbum & in totum copulatum, & in partes eius absque discrimine quadrat pro arbitrio accipientis.*

Sed de disiunctiua quoque coniunctione quæ consimilem acceptionum diuersitatem subit, hic agendum esse commodum locus admonet, quoniam disiuncti supra fecimus mentionem.

Vel, capitur < Disiunctim. / Disiunctiue.

Disiunctim capitur (uel) quoties toti disiuncto alterum extremum attribui significatur, ut Iustitia uel temeritas est uirtus, quæ si uniuersalis sit, falsa est, cum hanc præseferat sententiam, Omnis *res, quæ est* Iustitia, *uel temeritas, est uirtus, quod ostensa temeritate falsum euadit, hæc enim est iustitia, uel temeritas, non autem uirtus est, tametsi in hunc sensum apud eruditos uix unquam usurpatam reperias hanc coniunctionem, nisi à parte prædicati, ut contingit apud* Aristotelem *in generali illa diuisione prædicmentorum.* Eorum, *quæ secundum*

nullam complexionem dicuntur, singulum, aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, &cæ.

Disiunctiuè accipitur, (uel) cum singulis disiuncti partibus denotatur alterum extremum conuenire, ut Cicero *uel* Ramus *uiuit.*

Sed huius non lam latè patet usus, quàm quidã præceperunt, ferè enim ex talibus constat partibus disiunctum, quæ plurimum inter se distent, ut liquet ex Boetio, Trapezuntio, *& alijs eruditis, ubi naturam, & uim disiunctiuæ propositionis exequuntur.* Atquè *his duobus modis* Categoricè *particulam (uel) accipi uolunt, hoc tamen discrimine, quod ex posteriori acceptione inferri possit* Hypothetica *disiunctiua, non autem ex priori.*

Hypotheticè *uero capitur, quoties hypotheticam disiunctiuam efficit,* Categoricas *inter se connectens.*

Atquè *hæc hactenus pro singulari termino exactius à communi discernendo, dicta sint, nunc quã uarijs modis terminos, tùm singulares, tùm communes in diuersis* Propositionibus *accipi contingat, pro ut nunc hanc, nunc illam, nunc nullam certã legẽ significandi, adiuncta uox eis tribuit, exponemus.*

CAPVT QVINTVM.

De uariis modis, quibus terminos cùm

singulares, tum communes accipi contingit, & in primis de acceptione Technica.

Terminus Categorematicus non modo communis, sed & singularis tribus acceptionum generibus in Propositione deprehenditur acceptus, nonnunquam materialiter, seu technicos, alias simpliciter, frequenter personaliter.

Technicos accipitur terminus, quando pro uoce, uel scriptura ponitur, modo ad haec significanda non sit institutus; *ut dum dico leo est nomen, homo est dissyllabum, subiecta capiuntur materia liter.*

Adiecimus definitioni (modo ad haec significanda & caet.) ad excludendum Terminos, qui pro uocibus quidem, & scripturis capiuntur, sed ex propria significatione, & impositione, unde cum dico: Vox auditu percipitur: Scriptura in locum uocis substituitur, Subiecta dictarum propositionum non materialiter, sed personaliter accipi censenda sunt.

Varij autem modi solent assignari, quibus terminus est materialis.

Primo pro se, cum uidelicet reddit propositionem ueram, non pro alia uoce, sed pro seipsa. Exempli gratia, in hac propositione, Leo est uox dissyllaba. Terminus leo materialiter pro se capitur: sic subiecta in his, Cato est uox tertiae declinaiionis, Amo primae coniugationis.

Secundo pro sibi simili, cum reddit ueram propositionem similis termini ratione, in alia propositione rxpressi, qui sit eiusdem numeri & casus, ut in hac oratione, homo prædicatur de Catone; Terminus (homo) pro simili capitur, nimirum in hac sequenti propositione expresso, Cato est homo.

Tertio pro dissimili, cum uera sit propositio, ratione alterius termini, positi in alia propositione, qui sit, aut numeri diuersi, aut casus, ut ablatiuus Catone in prædicta oratione, capitur enim is pro nominatiuo in oratioue, sic prolato, Cato est homo.

Alios modos acceptionis materialis consultò prætermittimus, quòd nullum hodie usum habere uideantur.

Vt autem cognoscamus quando aliquis Terminus dicatur accipi materialiter, unica hæc suffecerit regula.

Tunc dicitur Terminus aliquis accipi materialiter, quando accipitur comparatione proprietatis alicuius Grammaticæ, Dialecticæ uel Rhetoricæ.

Hæ enim tres scientiæ de sermone agunt, explicantes tantummodo uim, ac proprietatem sermonis. Propterea uocabula, quibus peculiariter hæ scientiæ utuntur, accommodari debent uocibus, & sermoni. Porrò huiusmodi uocabula à ueteribus Dialecticis dicuntur secundæ intentionis,

seu impositionis. Prima *enim cura, ac studium impositoribus fuit, ut rebus ipsis significandis inderent nomina.* Postea *uerò quàm huic primæ intentioni fuit satisfactum, & uiderent ijdem necessarias fore artes aliquas, per quas disceremus rectè uti illis nominibus impositis, hinc illi ueluti iam secundo loco intenderunt, alias insuper effingere uoces, quæ disciplinis duntaxat inseruirent, & uocis non rei proprietatem explicarent.* Deplices *igitur sunt* Termini.

Terminus — Primæ intentionis.
— Secundæ intentionis

Terminus primæ intentionis, uocabulum est ex prima instituentium intentione destinatum ad rem quampiam certam designandam, siue substantiam sue *accidens, ut sunt omnia uocabula rebus ipsis indita, quibus in familiari congressu uulgus hominum passim utitur, ad exponenda sibi inuicem, mentis cogitata.*

siue

Terminus secundæ intentionis, est uocabulum ad disciplinæ alicuius tractationem destinatum,

Vt in Grammaticis Nomen, Pronomen, Verbum, Declinatio, Coniugatio, & *consimilia.* In Dialecticis, Vniuersale, Subijcibile, Genus, Species, Indiuiduum, & *id genus alia, quæ à plerisque uocabula* Artium, *uel nomina nominum ap*

pellantur. Ad Terminos igitur primæ intentionis si conferantur secundæ intentionis, materialiter capiuntur primæ intentionis Termini, ut Paulus est Genus. Quanquam non desunt, qui subiecta harum propositionum significatiué, & (ut statim dicetur) simpliciter accipiant, pro rebus primo significatis, qui Logicam non de signis, sed de rebus principaliter speculationem habere credunt, quàmuis hoc priorem sententiam amplectentibus non placeat qui dicunt: Si hoc de Logica quis credat, quare etiam de Grammatica, & Rhetorica idem non sentit? Siquidem hæ tres disciplinæ in sermone totæ uersantur; Quod si Grammaticam quoque & Rhetoricam rebus præcipuè tribuat; Dicat ergo quomodo hæ tres disciplinæ uulgò sermocinales haberi possunt, si principaliter de rebus speculantur?

Hos ad inuicem conciliare, aut refellere in præsentia non est animus. Nos igitur primæ & secundæ intentionis Terminos absoluamus.

Sciendum hic est, quod Neotericorum sit, ac recentiorum Philosophorum hic loquendi modus, Terminus primæ, aut secundæ intentionis ante Boetium incognitus; Sed quia hi, qui hodie Ludos ad tradendam Logicam aperiunt inter docendum, frequenter talium Terminorum faciunt mentionem, eorum planam, ac facilem attulisse explicationem occasione data, neque ingratum studiosis, neque inutile futurum rati sumus.

De acceptione simplici.

Terminus simpliciter accipi dicitur, qui accipiatur pro re primò & immediatè significata: hoc est qui significatiuè quidem capitur, sed pro re, quæ primò, ac propriè subiecta est uocis significato, quomodo accipiuntur subiecta significatiuè accepta: dum dicimus, Homo est species. Homo est omnibus hominibus communis. Paulus est indiuiduum humanæ speciei. In quibus propositionibus sic aptantur subiectis predicata; ut nec inferioribus illorum, nec superioribus aptari possint: sic enim homo est species, omnibusq; particularibus hominibus communis, ut nullus interim designari queat particularis homo, qui eiusmodi sit. Sic quoque Paulum uolūt Indiuiduum esse, & rem singularem speciei humanæ, ut interim neque homo sic Indiuiduum sit, sed species: Neque animal cum sit Genus.

Quare acceptio hæc propterea simplex dicta est, quòd per eam Terminus pro re simplici, ac præcipuè significata ponatur in Propositione.

Aliud itaque est indefinitè Terminum commnem accipi: aliud simpliciter, eò quòd Terminus indefinitè acceptus, pro re aliqua particulari uerificari debeat, captus simpliciter, nec debet, nec potest.

Ac breuiter hoc signo cognoscimus communem Terminum simpliciter accipi, si ipsi eodem sensu propositionis seruato, non possit præponi aliquod signum, uel uniuersale, uel particulare.

Præterea

Præterea, si sensu eodem seruato in locum ipsius nullum queat substitui Indiuiduum. Et simili modo Terminus singularis simpliciter accipi censendus est, quando in eius locum nequit ullum superius collocari eodem seruato propositionis sensu

Hæc ferè contingunt subiectis pro re acceptis, quæ in propositione subyciuntur huiusmodi prædicatis, Vniuersale, Genus, Species, Superius, Indiuiduum; alÿsqué similibus: quòd pluribus exemplis declarare nihil habet difficultatis.

De Personali acceptione.

Personalem hinc dixerunt, quòd Terminus pro personis significatis in Propositione ponatur, ut in hoc pronunciato, homo plerunq; homini bellua est, in quo illud (homo) non pro uniuersa hominum natura ponitur, sed pro personis aliquot, quæ in suæ naturæ consortes non secus, atque feræ, ac immanes belluæ sæuiunt. Nec tamen tàm seuerè uocabulum acceptionis personalis sumendum est, ut ad omnes terminos laxari non debeat, qui personas non significant. Sunt enim permulti, qui res significant, quæ nec personæ esse possunt, nec in personis esse, ut terra, lapis, mundus, aqua, bos, leo, quæ tamen accipiuntur personaliter. Proinde dici solet, personaliter accipi Terminum omnem, qui pro re particulari ad quam significandam est impo-

situs, in propositione ponitur: hoc modo accipitur subiectum (homo) in hac oratione, Omnis homo est docilis, & in uniuersum omnis Terminus accipitur personaliter, qui aut pro suo inferiori capitur, aut pro denominato, ut dum dicimus, Omne album potest denigrari. Subiectum album accipitur pro re aliqua, quæ ab inexistente albedine denominatur alba, similiter cum dicimus, Genus prædicatur de specie, accipitur dictio genus, personaliter pro animali, aut simili aliquo, cui ratio generis applicatur.

Rursus personaliter accipitur, hoc album in hac oratione, hoc album est cygnus. Nam & si acceptio personalis pro inferioribus termino communi solum competat, tamen pro subiecto uel denominato tam discretus, seu singularis Terminus, quàm communis personaliter accipitur.

Distinguunt itaque duplicem acceptionem personalem, communem & discretam.

Acceptio personalis < Communis / Discreta.

Discreta est, cum Terminus singularis pro re Indiuidua, & singulari personaliter capitur, ut subiectum huius, Cicero fuit Romanorum eloquentissimus.

Communis acceptio est Termini communis in propositione positio pro re particulari, ad quam designandam est impositus, ut in hac propositione:

uinum non habet clauum, Subiectum uidelicet (uinum) cum sit Terminus communis, nec cohibeatur aliqua particula, ut uocant, singularizante, proculdubio accipitur communiter pro particularibus uini generibus.

Porrò hæc communis ulterius in tres diduci solet species, distributiuam, confusam, determinatam.

Acceptio perso nalis communis,	Distributiua, Confusa, Determinata.

CAPVT SEXTVM.

De acceptione distributiua.

Distributiuè capitur Terminus, qui ad omnia significata secundaria copulatiuè accipienda laxatur, ita uidelicet, ut denotetur talis propositio esse uera pro singulis rebus per extremum significatis. Vt *subiectum in hac oratione,* Omnis *homo mortis edicto est obnoxius,* To *homo, ob signum distributionis protenditur ad significandos omnes homines.* Omnes *enim homines ea propositione intelliguntur copulatiué, adeò ut nullus exceptus sit.* func

Propterea *uerò* Distributiua *est appellata huiusmodi acceptio* Termini, *quod quicquid demum* Termino *sic affecto attribuatur, id omnibus, quæ ille denominat cẽsetur, esse distributũ, et cõmunicatũ*

Vim autem huius acceptionis efficiendæ habent præcipuè signa uniuersalia, & negationes.

Aduerte tamen non eandem omnibus distribuendi, id est, efficiendæ acceptionis distributæ, rationem esse. Quod ut facilius, & exactius perspiciatur, aliquot obseruantur Regulæ, *quarum*

Prima hæc est

Omne signum uniuersale affirmatiuum distribuit suum substantiuum quocunque loco, aut ordine proferatur. Horatius: *Procul omnis esto clamor.* Interim *ad unum substantiuum posito signo: reliqua eiusdem casus distribuit.* Cicero: *omnes omnium generum, ætatum, ordinum, uiri ac mulieres.*

Signa autem uniuersalia bifariàm distingui possunt, ut Nomina *alia, alia* Aduerbia *appellentur.*

Nomina *ferè sunt hæc, Singuli, Cuncti, Omnis, uterquè, Vnusquisquè, Quisque, Quicunque, & cæ.*

Aduerbia *sunt, Semper, ubiq́, ubicunq́; & quocunq́, quibus aduerbijs hoc peculiare est, quòd non tam uniuersalia signa dicenda sunt, quàm (ut superius diximus)* Termini *mixti signa uniuersalia includentes, unde* Terminum *proximum non distribuunt, sed* Terminum *significatiuum includunt distributum.*

Secunda Regula

Signum uniuersale negatiuum, & negatio ne-

gans distribuunt quemlibet Terminum *communem sequentem, non proximum modò, sed etiam dissitum, siue remotum.*

Signa *negatiua sunt*, Nemo, *nullus*, *neuter*, *nihil*. Item Nunquàm; *nusquàm*, *neutrobiq;*, *nequò*, *necubi*. Negationes *dicuntur aduerbia negãdi*, *quæ à Grammaticis petenda sunt.*

Diximus, Terminum *communem sequentem*; *quia nullum signum potest exercere uim in* Terminos *singulares*.

Dictum *est præterea in* Regula, *negatio negãs*, *ut ostenderetur, non de qualibet negatione intelligi hanc* Regulam; *sed de ea duntaxat, quæ uocatur negans, hoc est, negato uerbo, quæ efficit propositionem negatiuam*. Nam *negatio, quàm infinitantem uocant, negatiuam propositionem minimè facit*. Eius *enim naturæ est, ut in solum sibi propinquum, atque contiguum* Terminum *negandi uim exerat, atque tota in hoc ueluti incumbit, ut finitam talis* Termini *significationem tollat; ne amplius certi quicquàm, & definiti inter ambitum suæ significationis complectatur*.

V*nde rectè dicuntur* Termini *infiniti, quos infinitans negatio afficit, qui si non admoti essent negationi illi, alioqui finiti uocabantur*.

Exempli *causa* (*lapis*) *est* Terminus *finitus, sed addita negatione, dum dico* (*non lapis*) *fit infinitus*. Tota *enim illa aggregatio* (*non lapis*)

indefinitæ significationis est, & uere dicitur de omnibus alijs in infinitum excepto lapide, sic homo est non lapis, lignum est non lapis, metallum est non lapis, &c. Similiter *non ens, pro omni eo, quod in rerum natura non subsistit, capitur.*

Multos Terminos *infinitos expressit* Plato *hoc suo ænigmate*: Homo non homo, *percussit non percussit, auem non auem, lapide non lapide, super arborem non arborem.*

Verum *apud* Latinos *rarior huiusmodi nominum usurpatio est, præsertim in substantiuis.* Cicero *in prima* Academica: Nec *uerò, aut. quòd efficeret aliquid, aut quòd efficeretur posse esse non corpus.* Et *alius*: Poterat *non uacca uideri.*

Adiectiua uerò nomina, etsi frequentius apud Latinos *infinita inueniantur, non tamen ita prorsus, quin ex contrario certa significatio intelligatur, ut mons non magnus, paruus, aut mediocris intelligitur, homo non improbus, forma non mala, certam habent significantiam ex contrario, hæc de Termino infinito paucis addere placuit, ut negationis infinitantis, quæ hoc loco à negante distinguenda erat, melius natura perspiceretur, nunc ad Canones prius assignatos redeamus.*

Ambæ, *quas dedimus,* Regulæ *intelligendæ sunt de signis uniuersalibus, & negationibus, quæ sibi mutuo non sunt obstaculo. Nam à se inuicem prohibita uim suam uniuersalem non retinebunt.*

Probibentur autem quoties pari numero in eundem Terminum cadunt; ut cum dicit Cicero tertio de Natura Deorum: Nonnunquàm bonos exitus habent boni. Si uero impari numero eundem distribuunt, ut à Dialecticis est obseruatum. Porrò cadere signa in communem aliquem Terminum ita demum censentur si unumquodque per se, & sine alio sumptum eundem Terminum distribuere possit. Exempli gratia, in hac oratione, nonnunquàm boni non habent exitus bonos.

In accusatiuum (exitus) tria cadunt signa; quodlibet enim singulatim, & per se acceptum poterit, eum accusatiuum distribuere. Quod si non posset signorum unumquodque per se prolatum communem Terminum distribuere, tum sane neutiquàm dicentur omnia in illum Terminum cadere, ut cum dicit Cicero, non omnia quæcunq; loquimur, ad Artem sunt reuocanda. In prædicatum, reuocanda ad Artem, non cadit signum (omnia) Nam si dixeris, Omnia quæcunque loquimur sunt ad artē reuocanda, signum (omnia) distribuit tantum suum subiectum, ac proinde negatio, quam non potuit in uicinum Terminum communem exerere uim probibita à signo (omnia) eam in remotum exerit, in quo non patitur obstaculum.

Quod hic monere solent, Signa negatiua recto prolationis ordine uocibus negandis præponi debere, friuolum arbitramur, & autoribus tam anxie non

receptum, ut contra facere non liceat. Quandoquidem *si uel sensu sequatur uox neganda non refert, ut si dicam, Nonnunquàm bonos exitus non habent boni.* Neque (*boni*) *distribuitur, quàmuis tertiam sequatur ordine prolationis negationem, neq; non distribuitur* (*exitus*) *quòd non sequatur tertiam negationem.*

Præterea *posterior* Regula *intelligenda est de negatione, & signo negatiuo, quod non includitur inter partes alterius extremi, ut in hac oratione:* Homo *qui mecum non colligit, dispergit.* Negatio *duntaxat id distribuit, quod intra fines subiecti contentum sequitur: in* Terminum *extra subiectum positum, uim suam adeo non exercet, ut etiam* Propositio *ipsa maneat interim affirmatiua.*

Aduertat *hic siue* Literarum, *siue* Philosophiæ Studiosus *usum negationis, quàmuis frequenter, non semper tamen prædictis regulis conformem esse, sed aliquando rem aliter longè se habere:* Patet *enim latissimè, tum apud* Græcos, *tum apud* Latinos; *ut nemo est ex aliqua parte non fœlix, quid istud est, ex nulla parte?*

In *prædicamentis præterea* Determinatorũ *nullum nulli est contrarium, an,* Determinatorum *quodlibet alicui esse contrarium significatur?* Certè *ibi non plus duæ negationes, quàm una efficiunt, nisi quòd* Græco *magis, quàm* Latino *more fortius negant.*

In omni enim lingua duæ negationes fortius negant, præterquàm in Latina, Demosthenes aliquando quatuor posuit pro una. Interim & Cicero sic loquitur, nolo ne hæc quidem humana ignoret, Præterea idem sunt.

Non reueretur nequé deos nequé homines,
Nequé deos, nequé homines reueretur.
Non ueretur, homines, aut deos.

Hinc uarium esse negationis usum licet apértè deprehendere, regulas tamen fere obseruāt scholæ.

DE ACCEPTIONE CONFVSA ET DETERMINATA.

CAPVT VII.

Confusè accipitur Terminus dum capitur pro aliquot suis significatis, sed indeterminatis, ac incertis, ut prædicatum in hæc Propositione, Omne brutum est animal, qua oratione non significatur, unum aliquod determinatum esse animal, quod sit omne brutum.

Determinatè accipitur Terminus, cùm pro re aliqua certa capitur, adeó ut pro uno singulari determinato possit Propositio reddi uera, ut huius subiectum, aliquis homo est niger.

Cæterùm has acceptiones ita ab inuicem differe

uolunt, ut Propositio, cuius terminus aliquis determinatè accipitur, æquiualeat hypotheticæ disiunctiuæ, in qua loco talis termini enumerantur omnia singularia eiusdem, unde hæc Propositio, Aliquis homo est niger, cum ista idem ualet, uel Ioannes est niger, uel Petrus est niger, uel Paulus est niger, uel aliquis aliorum hominum est niger.

Propositio uero cuius Terminus accipitur confusè semper æquiualet alteri Categoricæ, in qua uel disiunctim uel copulatim enumerantur ea, pro quibus Terminus confusè capiebatur, ut hanc Propositionē, cuius Prædicatum confusè capitur, Tantum quinque sunt sensus, explicat ista Categorica, tantum quinque sunt uisus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Rursus hanc, Omnis scientia est qualitas, æquiualere uolunt cum hac Categorica, Omnis scientia est, uel hæc qualitas, uel illa, uel ista, & sic deinceps. Sed hæc fortassis duntaxat infertur ex priore illa, & non æquipollet ei, cum aliam longe significationem posterius Prædicatum, quàm prius præ se ferre uideatur, ut liquidò constabit, si prius Prædicatum aduertas simpliciter magis accipi debere, (ut quidam uolunt) quàm ad singularia referri. Sed hoc quid contineat ueritatis, penes alios iudicij periculum esto. Quos duo simul (significationem inquam uocis, & eruditorum consuetudinem) inspicere oportebit, si securius de his, & similibus iudicare, medioque tutissimi ire

studeant.

Prolixius de acceptione Confusa & Determinata agendum non putamus, quòd has facilè discernet quisquis Propositiones ipsas intellexerit.

Quorsum enim attinet in rem maximè perspicuam regularum, quas alij addunt, tenebras inuehere, perinde atque esset opus in sole meridiano accendere lucernam. Ne dicam Canones illos de Terminis, qui certo loco & ordine collati, semper (si dijs placet) confusa, aut aliter collocati semper determinata afficiuntur acceptione à probatissimis parum obseruari. Quasi hanc pro falsa scriptores classici habeant, animal est quiuis homo, qui indifferenter dicunt, caput omnis homo habet, Omnis homo habet caput. Ad equitandum requiritur equus, Equus requiritur ad equitandum. Sané Cicero in Oratore sic loquutus, Acumen Dialecticorum requirendum est, Regulas illas planè euertit. Sic scriptura, Pauperes semper habebitis uobiscum: Sunt hæ falsæ? Quis aliter loquitur, nec ipsi ijdē qui regulas commenti sunt.

Nemo igitur relictis uulgaribus, & receptis uerborum sensis, traditas hoc loco regulas tanquàm magicas, quasdam præceptiones mordicus teneat. Neque rursus uolo damnet in totum, quæ ab alijs præcipiuntur, sed quatenus communi rectè loquentium consuetudini consentanea sunt recipiat lubens

DE DESCENSV.

CAPVT VIII.

Vt ueritas Propositionum apertius erueretur, recte excogitarunt ueteres Dialectici, descensum, per quem acceptiones terminorum communium hactenus tractatæ clarius innotescerent.

Definierunt autem ita Descensum.

Descensus est eorum omnium, pro quibus Terminus quispiam in Propositione aliqua accipiebatur enumeratio *per bonam cõsequentiam, ut sub termino (homo) in hac Propositione, Omnis homo uiuit, descenditur sic Omnis homo uiuit, ergo Petrus uiuit, Paulus uiuit, Augustinus uiuit; atque ita de reliquis, pro quibus subiectum prædictæ Propositionis positum fuerat, quod non temere addo; Nam non licet, in prædicto descensu inferre, Ergo Adam Protoplastes uiuit, ergo Iulius Cæsar uiuit. Sic enim enumeraretur aliqua, pro quibus subiectum huius pronunciati, (Omnis homo uiuit) non ponebatur.*

Quadruplex est descensus:
- Copulatiuus,
- Copulatus,
- Disiunctiuus,
- Disiunctus.

Copulatiuus Descensus est omnium, pro quibus Terminus in propositione accipie-

batur enumaratio, per hypotheticam copulatiuam, idque in bona consequentia.

Vt cùm sub huius Propositionis prædicato, Tempus reuelat omnia, sic descenditur, igitur tempus hæc reuelat, & illa reuelat: eoque pacto de reliquis. Et sub huius subiecto, Quicunque uitulum sustulerit, taurum tollet, sic, igitur hic qui uitulum sustulerit taurum tollet; Ac *reliqua consimili modo.*

Vsus huius descensus est necessarius, quotiescunque Terminus accipitur distributiue.

Descensus Copulatus est per categoricā, copulato extremo, constantem enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio.

Vt cum sic descenditur. Nemo mortalium bene sapuit omnibus horis. Igitur nemo mortalium sapuit hac hora, & illa hora, & cæteris omnibus. Et sub subiecto huius, Omnes Apostoli *Christi sūt duodecim, sic. Igitur* Petrus, Paulus, Ioannes, Andreas, *& deinceps reliqui* Apostoli Christi *sūt duodecim.*

Vsus Copulati *descensus est, quoties* Terminus *accipitur confuse copulatim: Id autem interest inter copulatiuum descensum, & copulatum quod hic enumeratio fiat per* Categoricam, *cuius alterum extremum est copulatum, Ibi per* Hypotheticam *ex pluribus* Categoricis *constitutam, quod data prius exempla ostendunt.*

Descensus Disiunctiuus est enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio per hypotheticam disiunctiuam, idque in cõsequentia bona.

Vt sub subiecto huius Propositionis, Exercitatio potest omnia, sic descendunt, an rectè alij iudicent, Ergo, uel hæc exercitatio potest omnia, uel hæc exercitatio omnia potest, atque ita de reliquis. Rectius hic: Aliquis homo est Imperator, ergo hic homo Imperator est, uel ille homo est Imperator, Et ita de reliquis. Vsui est hic descensus quoties acceptio Termini est determinata.

Disiunctus Descensus est per categoricam, disiuncto extremo, constantem enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio, idque in consequentia bona.

Vt sub subiecto huius Propositionis, Sola uirtus nobilitat hominem, sic descendunt. Itaq; sola hæc, uel hæc uirtus nobilitat hominem. Et sub prædicato huius, Omnes frangimur mollicie, sic, igitur omnes frangimur uel hac, uel illa, & de cæteris simili modo.

De quibus descensibus an omnino exactè fiant, uideant studiosi.

Vsus descensus disiuncti est, ad ostendendam acceptionem Termini confusam disiunctam, cum uidelicet Propositio, in qua Terminus huiusmodi est, censetur idem pollere, cum Categorica quapiam ex

disiuncto extremo.

Duplici uerò nota descensus disiunctiuus, & disiunctus dignoscuntur. In primis quòd hîc enumeratio fiat per Categoricam, cuius alterum extremum disiunctum habet, ibi per Hypotheticam disiunctiuam, Praeterea quòd disiunctiui pars aliqua uera est determinatè, disiuncti non ita, sed sufficit in genere, siue in communi terminum, sic acceptum alteri coaptari.

DE REGVLIS OBSERVANDIS IN DESCENSV.

CAPVT IX.

Quò praedicta rectius intelligantur, fiatque descensus commodior, haec ferè obseruanda traduntur.

Primum est, ut ad Termini acceptionem descensum attemperemus, copulato uidelicet, aut disiuncto utentes, si Terminus confusè accipiatur: disiunctiuo si determinatè: copulatiuo, si fuerit distributus. Quòd si haec confundas, licet interim cõsequentia fortassis non usquequaque sit absurda, certè non aptè propositi Termini acceptionem declaraueris.

Caeterum quòd ad Copulatiuum descensum attinet obseruandum est, bifariam distribui Termi-

num, atque duplicem proinde hic esse descendendi rationem.

Aut enim distribuitur Terminus pro singulis generum (ut dicunt) hoc est, pro quibuscunque sub genere aliquo contentis, nimirum pro omnibus speciebus, ac omnium specierum Indiuiduis, quo fit, ut ex Termino sic distributo non solum species, sed omnia singularia copulatiuo descensu liceat colligere. Aut distribuitur Terminus pro generibus singulorum, id est, pro omnibus quidem speciebus suis, sed non pro omnibus harum specierum Indiuiduis: sic hæc Propositio est uera, Omne animal fuit in arca Noe, cum multo maxima pars diluuio perierit extra arcam. Quare ex huiusmodi Termino sic accepto licebit quidem colligere omnes species, non autem omnia indiuidua. Exempli gratia ex ista oratione, Homo habet omnes sensus sic colliges, igitur habet uisum, & habet auditum, & ita de reliquis sensuum speciebus, ut mihi liceat usitatissimo more Scholæ dicere speciebus, & specierum.

Est & alia distributio, quæ duorum nuncupatur, idcirco quod pro duobus copulatiue terminus accipi notetur. Quomodo accipitur animal hic, utrunque animal est bipes, ubi & iusta opus est explicatione, ut inferas, ergo & hoc animal est bipes, & illud, uel istud animal est bipes, & illud ac ita de reliquis, singula animalium paria, singulis duobus disiunctiue copulando.

Sed

Sed hac de re plura libro primo Peribermenias, ubi ratio solet reddi, quamobrem hæ non sunt contrariæ, uterque homo sedet, neuter hõ sedet. Et primo libro Priorũ, ubi ostẽditur, hic syllogismus debilis esse, utrunque animal est quadrupes, atque uterq; homo est animal, igitur uterque homo quadrupes est.

Secundum hic obseruandum est quod nullus queat fieri descensus sub termino singulari, neq; sub termino materialiter, aut simpliciter; sed duntaxat sub termino communi personaliter accepto, quod is solus plura complectatur significatione, quæ enumerando colligi possint.

Tertio obseruandum, ut quoties descensus fit sub subiecto, Prædicatum maneat inuariatum, secus enim ex falso colligeretur uerum. Nam si enumeres una opera sub utraque extremitate huius Propositionis: Omnis homo est omnis homo, uerum colliges in hunc modum, itaque hic homo est hic homo, sic affirmando de singulis, cum tamen falsa sit Propositio, sub qua descenditur.

Proinde sic enumerare oportet, igitur hic homo est omnis homo, & ille homo est omnis homo, &c. unde patebit prius enunciatum falsum fuisse.

Quarto, enumerando sub Prædicato, toties iteretur subiectum cum hac particula (idem) hoc pacto, homo est omne animal, itaque homo est hoc animal: & idem homo est illud animal, ac perinde de cæteris.

Vim autem huius acceptionis efficiendæ habent præcipuè signa uniuersalia, & negationes.

Aduerte tamen, non eandem omnibus distribuendi, id est, efficiendæ acceptionis distributæ, rationem esse. Quod, ut facilius, & exactius perspiciatur, aliquot obseruantur Regulæ, *quarum*

Prima hæc est

Omne signum uniuersale affirmatiuum distribuit suum substantiuum quocunque loco, aut ordine proferatur. Horatius: *Procul omnis esto clamor.* Interim *ad unum substantiuum posito signo: reliqua eiusdem casus distribuit.* Cicero: *omnes omnium generum, ætatum, ordinum, uiri ac mulieres.*

Signa autem uniuersalia bifariàm distingui possunt, ut Nomina *alia, alia* Aduerbia *appellentur.*

Nomina *ferè sunt hæc, Singuli, Cuncti, Omnis, uterquè, Vnusquisquè, Quisque, Quicunquè, & cæ.*

Aduerbia *sunt, Semper, ubiq;, ubicunq;, & quocunq;, quibus aduerbijs hoc peculiare est, quòd non tam uniuersalia signa dicenda sunt, quàm (ut superius diximus)* Termini *mixti signa uniuersalia includentes, unde* Terminum *proximum non distribuunt, sed* Terminum *significatiuum includunt distributum.*

Secunda Regula

Signum uniuersale negatiuum, & negatio ne,

gans distribuunt quemlibet Terminum communem sequentem, non proximum modò, sed etiam dissitum, siue remotum.

Signa negatiua sunt, Nemo, nullus, neuter, nihil. Item Nunquàm; nusquàm, neutrobiq; nequò, necubi. Negationes dicuntur aduerbia negādi, quæ à Grammaticis petenda sunt.

Diximus, Terminum communem sequentem; quia nullum signum potest exercere uim in Terminos singulares.

Dictum est præterea in Regula, negatio negās, ut ostenderetur, non de qualibet negatione intelligi hanc Regulam; sed de ea duntaxat, quæ uocatur negans, hoc est, negato uerbo, quę efficit propositionem negatiuam. Nam negatio, quàm infinitantem uocant, negatiuam propositionem minimè facit. Eius enim naturæ est, ut in solum sibi propinquum, atque contiguum Terminum negandi uim exerat, atque tota in hoc ueluti incumbit, ut finitam talis Termini significationem tollat; ne amplius certi quicquàm, & definiti inter ambitum suæ significationis complectatur.

Vnde rectè dicuntur Termini infiniti, quos infinitans negatio afficit, qui si non admoti essent negationi illi, alioqui finiti uocabantur.

Exempli causa (lapis) est Terminus finitus, sed addita negatione, dum dico (non lapis) fit infinitus. Tota enim illa aggregatio (non lapis)

indefinitæ significationis est, & uere dicitur de omnibus alijs in infinitum excepto lapide, sic homo est non lapis, lignum est non lapis, metallum est non lapis, &c. Similiter non ens, pro omni eo, quod in rerum natura non subsistit, capitur.

Multos Terminos infinitos expressit Plato hoc suo ænigmate: Homo non homo, *percussit non percussit, auem non auem, lapide non lapide, super arborem non arborem.*

Verum apud Latinos rarior huiusmodi nominum usurpatio est, præsertim in substantiuis. Cicero in prima Academica: Nec uerò, aut. quòd *efficeret aliquid, aut quòd efficeretur posse esse non corpus. Et alius:* Poterat *non uacca uideri.*

Adiectiua uerò nomina, etsi frequentius apud Latinos infinita inueniantur, non tamen ita prorsus, quin ex contrario certa significatio intelligatur, ut mons non magnus, paruus, aut mediocris intelligitur, homo non improbus, forma non mala, certam habent significantiam ex contrario, hæc de Termino infinito paucis addere placuit, ut negationis infinitantis, quæ hoc loco à negante distinguenda erat, melius natura perspiceretur, nunc ad Canones prius assignatos redeamus.

Ambæ, quas dedimus, Regulæ intelligendæ sunt de signis uniuersalibus, & negationibus, quæ sibi mutuò non sunt obstaculo. Nam à se inuicem prohibita uim suam uniuersalem non retinebunt.

Prohibentur autem quoties pari numero in eundem Terminum cadunt; ut cum dicit Cicero tertio de Natura Deorum: Nonnunquàm bonos exitus habent boni. Si uero impari numero eundem distribuunt, ut à Dialecticis est obseruatum. Porrò cadere signa in communem aliquem Terminum ita demum censentur si unumquodque per se, & sine alio sumptum eundem Terminum distribuere possit; Exempli gratia in hac oratione, nonnunquàm boni non habent exitus bonos.

In accusatiuum (exitus) tria cadunt signa; quodlibet enim singulatim, & per se acceptum poterit eum accusatiuum distribuere. Quod si non posset signorum unumquodque per se prolatum communem Terminum distribuere, tum sane neutiquàm dicentur omnia in illum Terminum cadere, ut cum dicit Cicero, non omnia quæcunq; loquimur, ad Artem sunt reuocanda. In prædicatum, reuocanda ad Artem, non cadit signum (omnia) Nam si dixeris, Omnia quæcunque loquimur sunt ad artē reuocanda, signum (omnia) distribuit tantum suum subiectum, ac proinde negatio, quam non potuit in uicinum Terminum communem exerere uim prohibita à signo (omnia) eam in remotum exerit, in quo non patitur obstaculum.

Quod hic monere solent, Signa negatiua recto prolationis ordine uocibus negandis præponi debere, friuolum arbitramur, & autoribus tam anxie non

receptum, ut contra facere non liceat. Quandoquidem, si uel sensu sequatur uox neganda non refert, ut si dicam, Nonnunquàm bonos exitus non habent boni. Neque (boni) distribuitur, quàmuis tertiam sequatur ordine prolationis negationem, neq; non distribuitur (exitus) quod non sequatur tertiam negationem.

Praeterea posterior Regula intelligenda est de negatione, & signo negatiuo, quod non includitur inter partes alterius extremi, ut in hac oratione: Homo, qui mecum non colligit, dispergit. Negatio duntaxat id distribuit, quod intra fines subiecti contentum sequitur: in Terminum extra subiectum positum, uim suam adeo non exercet, ut etiam Propositio ipsa maneat interim affirmatiua.

Aduertat hic siue Literarum, siue Philosophiæ studiosus usum negationis, quàmuis frequenter, non semper tamen prædictis regulis conformem esse, sed aliquando rem aliter longé se habere: Patet enim latissimè, tum apud Græcos, tum apud Latinos; ut nemo est ex aliqua parte non fœlix, quid istud est, ex nulla parte?

In prædicamentis prætereà Determinatorũ nullum nulli est contrarium, an, Determinatorum quodlibet alicui esse contrarium significatur? Certè ibi non plus duæ negationes, quàm una efficiunt, nisi quod Græco magis, quàm Latino more fortius negant.

In omni enim lingua duæ negationes fortius ne-gant, præterquàm in Latina, Demosthenes ali-quando quatuor posuit pro una. Interim & Cice-ro sic loquitur, nolo ne hæc quidem humana igno-ret, Præterea idem sunt.

Non reueretur nequé deos nequé homines,
Nequé deos, nequé homines reueretur.
Non ueretur, homines, aut deos.

Hinc uarium esse negationis usum licet apértè deprehendere, regulas tamen fere obseruāt scholæ.

DE ACCEPTIONE CONFVSA ET DETERMINATA.

CAPVT VII.

Confusè accipitur Terminus dum capitur pro aliquot suis significatis, sed indeterminatis, ac incer-tis, ut prædicatum in hæc Propositione, Omne brutum est animal, qua oratione non significatur, unum aliquod determinatum esse animal, quod sit omne brutum.

Determinatè accipitur Terminus, cùm pro re aliqua certa capitur, adeó ut pro uno singulari de-terminato possit Propositio reddi uersa, ut huius subiectum, aliquis homo est niger.

Cæterùm has acceptiones ita ab inuicem differe

uolunt, ut Propositio, cuius terminus aliquis determinatè accipitur, æquiualeat hypotheticæ disiunctiuæ, in qua loco talis termini enumerantur omnia singularia eiusdem, unde hæc Propositio, Aliquis homo est niger, cum ista idem ualet, uel Ioannes est niger, uel Petrus est niger, uel Paulus est niger, uel aliquis aliorum hominum est niger.

Propositio uero cuius Terminus accipitur confusè semper æquiualet alteri Categoricæ, in qua uel disiunctim uel copulatim enumerantur ea, pro quibus Terminus confusè capiebatur, ut hanc Propositionē, cuius Prædicatum confusè capitur, Tantum quinque sunt sensus, explicat ista Categorica, tantum quinque sunt uisus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Rursus hanc, Omnis scientia est qualitas, æquiualere uolunt cum hac Categorica, Omnis scientia est, uel hæc qualitas, uel illa, uel ista, & sic deinceps. Sed hæc fortassis duntaxat infertur ex priore illa, & non æquipollet ei, cum aliam longe significationem posterius Prædicatum, quam prius præ se ferre uideatur, ut liquidò constabit, si prius Prædicatum aduertas simpliciter magis accipi debere, (ut quidam uolunt) quàm ad singularia referri. Sed hoc quid contineat ueritatis, penes alios iudicij periculum esto. Quos duo simul (significationem inquam uocis, & eruditorum consuetudinem) inspicere oportebit, si securius de his, & similibus iudicare, medioque tutissimi ire

studeant.

Prolixius de acceptione Confusa, & Determinata agendum non putamus, quòd has facilè discernet quisquis Propositiones ipsas intellexerit.

Quorsum enim attinet in rem maximè perspicuam regularum, quas alij addunt, tenebras inuehere, perinde atque esset opus in sole meridiano accendere lucernam. Ne dicam Canones illos de Terminis, qui certo loco, & ordine collati, semper (si dijs placet) confusa, aut aliter collocati semper determinata afficiuntur acceptione à probatissimis patrum obseruari. Quasi hanc pro falsa scriptores classici habeant, animal est quiuis homo, qui indifferenter dicunt, caput omnis homo habet, Omnis homo habet caput. Ad equitandum requiritur equus, Equus requiritur ad equitandum. Sané Cicero in Oratore sic loquutus, Acumen Dialecticorum requirendum est, Regulas illas planè euertit. Sic scriptura, Pauperes semper habebitis uobiscum: Sunt hæ falsæ? Quis aliter loquitur, nec ipsi ijdẽ qui regulas commenti sunt.

Nemo igitur relictis uulgaribus, & receptis uerborum sensis traditas hoc loco regulas tanquàm magicas, quasdam præceptiones mordicus teneat. Neque rursus uolo damnet in totum, quæ ab alijs præcipiuntur, sed quatenus communi rectè loquentium consuetudini consentanea sunt recipiat lubens

DE DESCENSV.

CAPVT VIII.

Vt ueritas Propositionum apertius erueretur, recte excogitarunt ueteres Dialectici, descensum, per quem acceptiones terminorum communium hactenus tractatæ clarius innotescerent.

Definierunt autem ita Descensum.

Descensus est eorum omnium, pro quibus Terminus quispiam in Propositione aliqua accipiebatur enumeratio *per bonam cõsequentiam, ut sub termino (homo) in hac Propositione, Omnis homo uiuit, descenditur sic Omnis homo uiuit, ergo Petrus uiuit, Paulus uiuit, Augustinus uiuit; atque ita de reliquis, pro quibus subiectum prædictæ Propositionis positum fuerat, quod non temere addo; Nam non licet, in prædicto descensu inferre, Ergo Adam Protoplastes uiuit, ergo Iulius Cæsar uiuit. Sic enim enumeraretur aliqua, pro quibus subiectum huius pronunciati, (Omnis homo uiuit) non ponebatur.*

Quadruplex est descensus:
- Copulatiuus,
- Copulatus,
- Disiunctiuus,
- Disiunctus.

Copulatiuus Descensus est omnium, pro quibus Terminus in propositione accipie-

batur enumaratio, per hypotheticam copulatiuam, idqué in bona consequentia.

Vt cùm sub huius Propositionis prædicato, Tempus reuelat omnia, sic descenditur, igitur tempus hæc reuelat, & illa reuelat: eoqué pacto de reliquis. Et sub huius subiecto, Quicunqué uitulum sustulerit, taurum tollet, sic, igitur hic, qui uitulum sustulerit taurum tollet; Ac reliqua consimili modo.

Vsus huius descensus est necessarius, quotiescunqué Terminus accipitur distributiuè.

Descensus Copulatus est per categoricã, copulato extremo, constantem enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio.

Vt cum sic descenditur. Nemo mortalium benè sapuit omnibus horis. Igitur nemo mortalium sapuit hac hora, & illa hora, & cæteris omnibus. Et sub subiecto huius, Omnes Apostoli Christi sũt duodecim, sic. Igitur Petrus, Paulus, Ioannes, Andreas, & deinceps reliqui Apostoli Christi sũt duodecim.

Vsus Copulati descensus est, quoties Terminus accipitur confusè copulatim: Id autem interest inter copulatiuum descensum, & copulatum quod hìc enumeratio fiat per Categoricam, cuius alterum extremum est copulatum, Ibi per Hypotheticam ex pluribus Categoricis constitutam, quod data prius exempla ostendunt.

Descensus Disiunctiuus est enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio per hypotheticam disiunctiuam, idque in cõsequentia bona.

Vt sub subiecto huius Propositionis, Exercitatio potest omnia, sic descendunt, an recte alij iudicent, Ergo, uel hæc exercitatio potest omnia, uel hæc exercitatio omnia potest, atque ita de reliquis. Rectius hic: Aliquis homo est Imperator, ergo hic homo Imperator est, uel ille homo est Imperator, Et ita de reliquis. Vsui est hic descensus quoties acceptio Termini est determinata.

Disiunctus Descensus est per categoricam, disiuncto extremo, constantem enumeratio omnium, pro quibus erat acceptio, idque in consequentia bona.

Vt sub subiecto huius Propositionis, Sola uirtus nobilitat hominem, sic descendunt. Itaq; sola hæc, uel hæc uirtus nobilitat hominem. Et sub prædicato huius, Omnes frangimur mollicie, sic, igitur omnes frangimur uel hac, uel illa, & de cæteris simili modo.

De quibus descensibus an omnino exactè fiant, uideant studiosi.

Vsus descensus disiuncti est, ad ostendendam acceptionem Termini confusam disiunctam, cum uidelicet Propositio, in qua Terminus huiusmodi est, censetur idem pollere, cum Categorica quapiam ex

disiuncto extremo.

Duplici uerò nota descensus disiunctiuus, & disiunctus dignoscuntur. In primis quòd hîc enumeratio fiat per Categoricam, cuius alterum extremum disiunctum habet, ibi per Hypotheticam disiunctiuam, Præterea quòd disiunctiui pars aliqua uera est determinatè, disiuncti non ita, sed sufficit in genere, siue in communi terminum, sic acceptum alteri coaptari.

DE REGVLIS OBSERVANDIS IN DESCENSV.

CAPVT IX.

Quò prædicta rectius intelligantur, fiatque descensus commodior, hæc ferè obseruanda tradantur.

Primum est, ut ad Termini acceptionem descensum attemperemus, copulato uidelicet, aut disiuncto utentes, si Terminus confusè accipiatur: disiunctiuo si determinatè: copulatiuo, si fuerit distributus. Quòd si hæc confundas, licet interim cõsequentia fortassis non usquequaquè sit absurda, certè nòn aptè propositi Termini acceptionem declaraueris.

Cæterum quod ad Copulatiuum descensum attinet obseruandum est, bifariam distribui Termi-

num, atque duplicem proinde hic esse descendendi rationem.

Aut enim distribuitur Terminus pro singulis generum (ut dicunt) hoc est, pro quibuscunque sub genere aliquo contentis, nimirum pro omnibus speciebus, ac omnium specierum Indiuiduis, *quo fit, ut ex* Termino *sic distributo non solum species, sed omnia singularia copulatiuo descensu liceat colligere.* Aut *distribuitur* Terminus *pro generibus singulorum, id est, pro omnibus quidem speciebus suis, sed non pro omnibus harum specierum* Indiuiduis*: sic hæc* Propositio *est uera,* Omne *animal fuit in arca* Noe, *cum multo maxima pars diluuio perierit extra arcam.* Quare *ex huiusmodi* Termino *sic accepto licebit quidem colligere omnes species, non autem omnia indiuidua.* Exempli *gratia ex ista oratione,* Homo *habet omnes sensus sic colliges, igitur habet uisum, & habet auditum, & ita de reliquis sensuum speciebus, ut mihi liceat usitatissimo more* Scholæ *dicere speciebus, & specierum.*

Est *& alia distributio, quæ duorum nuncupatur, idcirco quod pro duobus copulatiue terminus accipi notetur.* Quomodo *accipitur animal hic, utrunque animal est bipes, ubi & iusta opus est explicatione, ut inferas, ergo & hoc animal est bipes, & illud, uel istud animal est bipes, & illud ac ita de reliquis, singula animalium paria, singulis duobus disiunctiue copulando.*

Sed

Sed hac de re plura libro primo Peribermenias, ubi ratio solet reddi, quamobrem hæ non sunt contrariæ, uterque homo sedet, neuter hō sedet. Et primo *libro Priorū, ubi ostēditur, hic syllogismus debilis esse, utrunque animal est quadrupes, atque uterq; homo est animal, igitur uterque homo quadrupes est.*

Secundum hic obseruandum est quod nullus queat fieri descensus sub termino singulari, neq; sub termino materialiter, aut simpliciter; sed duntaxat sub termino communi personaliter accepto, quod is solus plura complectatur significatione, quæ enumerando colligi possint.

Tertio obseruandum, ut quoties descensus fit sub subiecto, Prædicatum maneat inuariatum, secus enim ex falso colligeretur uerum. Nam si enumeres una opera sub utraque extremitate huius Propositionis: Omnis homo est omnis homo, *uerum colliges in hunc modum, itaque hic homo est hic homo, sic affirmando de singulis, cum tamen falsa sit Propositio, sub qua descenditur.*

Proinde sic enumerare oportet, igitur hic homo est omnis homo, & ille homo est omnis homo, &c. unde patebit prius enunciatum falsum fuisse.

Quarto, enumerando sub Prædicato, toties iteretur subiectum cum hac particula (idem) hoc pacto, homo est omne animal, itaque homo est hoc animal: & idem homo est illud animal, ac perinde de cæteris.

Quinto sub Termino in aliqua consequen tia, prolato, & potissimum in antecedente Hypotheticæ conditionalis, non permittitur descensus, ne falsum consequatur ex uero. Si enim sub subiecto huius pronunciati, si omnes piè uixerint, omnibus tandem erit optimè, sic colligas Itaq; si hic piè uixerit, omnibus tandem erit optimè, falsum concludetur ex uero. Rursus non sequitur, Si nullum alimentum suppedites animali, mori ipsum necesse est, igitur si hoc alimentum non suppedites, necessum est mori, & si illud quoqué non suppeditas, uidetur tamen rectè sequi, si descendas sub termino posito in consequente, ut si nullum sit alimentum, omne animal necessum est mori, igitur hominem mori necesse est, similiter, & brutum si nullum sit alimentum.

Sexto, cum fit descensus sub subiecto Propositionis exclusiuæ, uerti debet illud (præter) in (aliud ab) ne sit illatio sordida, sic, Omne animal præter hominem expers est rationis, igitur hoc animal aliud ab homine, expers est rationis: & non, igitur hoc animal præter hominem: quum exceptio non fiat nisi ab uniuersali se distributione.

Septimò hic monent diligenter obseruandum, ne argumentemur à Termino in antecedente accepto cōfusè ad eundem in consequente, acceptum determinatè respectu termini distributi: uerum num temerè hoc moneatur disquirant studiosi. Nam quod

dicunt hanc consequentiam non concludere, Cuiuslibet hominis equus non est animal, igitur huius hominis equus est animal, & illius & c. ac putant antecedens esse uerum consequente falso uidetur repugnare communi recte loquentium usui. Hæc hactenus.

DE ASCENSV.

Cum descensu plurima quoque de ascensu simul commiscere, ac infarcire solent, quod non putauimus faciendum; ne tamen silentio eum damnasse uidemur, pauca de eo dicemus.

Ascensum uocabant progressionem à singularibus ad uniuersale, de qua plura apud Aristotelem ubi de inductione agit. Porrò, ut ascensus fieret exactius, multa præscribebant, ex quibus duo duntaxat libet referre, quæ frequenter usui esse Dalestici sentiunt. dialec.

Prius est; ne argumentemur à pluribus determinatis ad unam respectu distributionis, aut multitudinis, hoc est; ne argumentemur ab eodem termino sæpius in Antecedente accepto determinatè, ad eundem in consequente semel duntaxat determinatè sumptum, respectu termini alterius distributi, aut dictionis pluralis numeri, aut copulati. Hinc non sequitur, aliquis homo non est Cicero, & aliquis homo non est Socrates: & sic de cæteris omnibus,

igitur aliquis homo non est homo.

Posterius est; ne argumentemur ab uno aliquo termino in antecedente non distributo, ad eundem distributum in consequente: ut non sequitur huius hominis manus non est dextera, & ita in aliis, igitur nullius hominis manus est dextera, ubi manifestum est antecedens esse uerum, demonstrata semper sinistra manu, & consequens falsum, quia in consequente manus simul pro dextra, & sinistra uniuersaliter accipitur,

De Relatiuorum acceptionibus.

CAPVT X.

Posteaquàm Terminorum absolutorum uariam usurpationem, qua potuimus breuitate absoluimus, restat breuissimis indicandum, quid Relatiuorum *acceptio sibi proprium uendicet.*

Est itaque Relatiuum (definitore Diomede) quod ex propria sua significatione rem antedictam refert.

Est autem duplex Relatiuum*, alterum* Accidentis*, quod refert adiectiuum, seu accidens, ut: talis, qualis, quantus, & similia.*

Alterum *substantiæ* Relatiuum*, quod rem substantiuo nomine designatam refert, atquè hoc est duplex.*

Alterum diuersitatis, quod rem ab antecedente diuersam refert, seu potius, quod pro re ab antecedente diuersa accipitur, ut alius, alter.

Alterum identitatis, quod pro eodem cum antecedente accipitur. Idque rursum duplex est.

Alterum reciprocum, quod reflectit significationem uerbi in id à quo processit, ac idem suppositum designat, qualia sunt, sui, & suus.

Alterum non reciprocum, quod nullam omnino uerbi reciprocationem importat: qualia sunt hæc sex, qui, ille, ipse, iste, hic, & is.

Sed istorum exactior definitio tractatioq́ à Grammaticis *petenda relinquitur.*

His itaqué sic breuiter (cum uenia Grammaticorum *) prælibatis, tres assignabimus in uniuersum* Regulas*, quæ ad intelligendam* Relatiuorum *acceptionem suffecerint.*

Prima est, Relatiuum substantiæ diuersitatis pro alia re accipitur, quàm *suũ antecedens. Accidentis uero* Relatiuum *pro eodem.*

Prioris exemplum sit hoc, Animalium, *quædam rationalia, alia uero rationis expertia, ubi* Relatiuum *(alia) refert quidem antecedens animalia rationalia, sed pro brutis accipitur.*

Posterioris partis regulæ exemplum hoc esto, Cicero *fuit eloquens, qualem fuisse diuum* Hieronymum *eius monumenta testantur.* Relatiuum *qualem*

refert eloquentem, seu qualitatem adiectiuo illo eloquens designatam, & pro eloquente accipitur.

Secunda, Relatiuum Identitatis non Reciprocum pro eodem accipitur, pro quo antecedens.

Vt, *Virgilius fuit Poeta quem merito prædicāt Romanorum principem (quem) capitur pro eo qui nomine Virgilij est significatus.* Illud, *sedulò hic animaduertendum est, Relatiuum identitatis referre antecedens suum restrictum, siquidem in copulatiua Propositione sit positum: uerbi causa, aliquod corpus animatum non sentit, atque hoc ipsum est planta.* Relatiuum *(hoc) non simpliciter corpus animatum refert, sed cum determinatione restringente pronunciatum: corpus animatum, quod non sentit.*

Quod adiectum est (in copulatiua Propositione) indicat hanc regulam in reliquis Hypotheticis, nequaquam obtinere ueritatem, quod hæc disiunctiua apertè declarat, Aut *eclipsis solis non est, aut ipsa est, quam esse ueram nemo eat inficias, qui non careat sensu communi: falsa tamen erit si* Relatiuum, *antecedens restrictum retulerit, quandoquidem hic sensus erit, aut ecclipsis est, aut ipsa quæ non est, est.*

Tertia est,

Omne *Relatiuum, excepto reciproco, primitiuæ*

ſpeciei accipitur eodem omnino acceptionis modo, quo caperentur reliqui termini eo loco poſiti, ut aliquod animal eſt rugibile, & omnis leo eſt iſtud. Relatiuum *(iſtud) confuſè accipitur, rugibile uerò, quod antecedens eſt, determinatè.*

Dictum eſt in regula (excepto Reciproco *) nam reciprocum primitiuæ ſpeciei accipitur ſecundũ exigentiam antecedentis: uerbi gratia,* Relatiuum *ſe in hac propoſitione, aliquis homo uidet ſe, capitur determinatè ſicut ſuum antecedens.* In *hac diſcretè ac ſingulariter, hic homo uidet ſe: deniquè in hac diſtributiuè, nullus homo uidet ſe.* Nam *iiſdem modis in dictis* Propoſitionibus *capiebatur* Antecedens *(homo) ut ex dictis manifeſtum eſt.* Idem *iudicium eſt de ſui, & ſibi, ut in hac (ſibi) diſtributiuè capitur. Omnis homo fauet ſibi, ſic tamen, ut ſingulis rebus indiuiduis antecedentis, ſingula relatiui indiuidua reſpondere intelligas, unde fit, ut ex prædicta propoſitione non poſſis hanc inferre, omnis homo omni homini fauet.*

Inſuper adiectum fuit (primitiuæ ſpeciei) quoniam deruatiua propriam habent acceptionem, ad normam cæterorum terminorum communium, uerbi cauſa, trahit ſua quenque uoluptas. Relatiuum *(ſua) accipitur confuſè.*

De *deſcenſu ſub* Relatiuis *hoc tantum addimus, ut prius ſub antecedente, quàm ſub relatiuo deſcendatur, idquè propterea, quòd* Relatiui *acceptio ex*

antecedente pendeat.

DE AMPLIATIONE

CAPVT XI.

De simplici Terminorum acceptione, qua potuimus breuitate tradidimus, quæ obseruatione digna uidebantur, proximum est, ut nunc amplam Terminorum acceptionem expediamus. Cuius maximus est usus, cum ad rectè conficiendos syllogismos, & ad exactè iudicandum de syllogismorum, & conuersionum forma, tum præcipuè ad inquirendam ueritatem, uel falsitatem propositionum, quæ constant ex copula alterius temporis, quàm præsentis.

Dicitur itaque Terminus amplè accipi, qui accipitur pro suis significatis secundū diuersas temporum differentias.

Temporum differentiæ, seu Tempora differentia sunt instans, præteritum, & consequens, siue futurum. Exemplum descriptionis est subiectum huius propositionis, Calidum fuit frigidum, Nam accipitur pro re, quæ calet nunc, uel prius fuit calida.

Huius amplæ acceptionis excogitandæ occasionē præbuit, quòd animaduersum fuerit, plerasque Propositiones uulgò ueras concedi, licet nunc nulla supersit res, per terminos significata. Vnde Termi

norum ampliatio (sic enim loquuntur) ex sensu Propositionis est petenda , potius quàm regulis . Trademus tamen iuuandi studiosos causa , quasdam regulas , ex doctorum intelligendi usu desumptas , quarum.

Prima hæc est

Subiectum Propositionis cuius uerbum est præteriti temporis ãpliatur, seu uerius laxatur ad præsentia, & præterita tempora . Cuius uero uerbum est futuri temporis , ad præsentia, & futura : ut dũ dico , Cicero fuit homo , Antichristus erit homo , accipiuntur subiecta amplé

Atque quis crimientur hæc Sophistarum esse somnia , inueniet eadem grauissime disputari apud Aulum Gellium libro 17. cap. 7. ubi docet , de quo furto intelligenda sit uetus hæc Atinia lex . Quod surreptum erit , eius rei æterna autoritas esto .

Non sunt igitur huiusmodi regulæ prorsus contemnendæ (ut quidam uolunt) sed obuijs (quod aiunt) ulnis amplexandæ , quatenus autorum sermone, ac disputationibus recipiuntur .

Secunda Regula .

Subiectũ Propositionis, cuius uerbo præteriti tẽporis additur Participium futuri temporis, aut contra ampliatur ad trium temporum differẽtias. Quomodo

accipitur subiectum legis citatæ ex Aulo Gellio ; *ea enim propositione furtum non solum futurum ; sed etiam, quòd ante legem latam fuit commissum intelligitur ex sententia* Publij Nigidij , *&* Quinti Scæuolæ : *ut est apud* Gellium .

DE VERITATE ET FALSITATE PROPOSITIONUM EX TERMINIS AMPLIS.

Veritatem autem, & falsitatem huiusmodi Propositionum , *quarum termini amplam habent acceptionem , cognoscimus per reductionem ad* Categoricas *propositiones constantes uerbo præsentis temporis* .

Propositio *igitur constans uerbo præteriti, aut futuri temporis , uera est , si* Categorica *de præsenti respondens , aut fuit aut erit uera.* Atque illud est, *quod* Cicero *dicit de* Fato *his uerbis* Præterita *ea dicimus , quorum superiori tempore uera fuerint instantia : sic futura , quorum consequenti tempore, instantia uera erunt .* Vt *ad ueritatem huius ,* Socrates *fuit homo , requiritur quòd hæc:* Socrates *est homo aliquando fuerit uera .* Similiter *declarabitur, dum copula est futuri temporis .*

Idem *dicendum est de* Propositione, *quam uocant modalem :* Nam, *& hæc ad* Categoricam *(ut uocant) de inesse , est reducenda .* In *qua reductione oportet sequi significationem modi.* Nam *quæ con-*

stat hoc modo (possibile) requirit Categoricam de in esse possibilem .

Cæterum subinde non ad unam Categoricam , sed ad multas est huiusmodi Propositio cuius termini amplè sumuntur , reducenda , incõiunctim sumptas , quod ferè fit dum aliqua ponitur distributio : ut, Omnis *homo potest esse in hoc loco : sic reducenda est , hic homo est in hoc loco , ille homo est in hoc loco , & ita de alys, quæ Propositiones singulæ possibiles sunt . Quòd si interponatur coniunctio , reductio non respondebit significationi modi .*

Hic etiam obseruandum est , si Propositio habeat aliquem terminum concretum , ut ille mutetur in pronomen demonstrans rem , pro qua terminus accipitur , Exempli *gratia , album potest esse nigrum reducitur ad istam , hoc est nigrum , demonstrato albo : non autem ad istam , album est nigrum , quoniam hæc est impossibilis .*

Ratio argumentandi ab amplo ad non amplum .

Frequens apud Logicos mentio incidit cuiusdã formæ argumentandi , quam uocant ab amplo ad non amplum , & contra .

Est autem argumentari ab amplo ad non amplũ argumentari à termino amplè accepto in antecedente , ad eundem terminum non amplè acceptum in

consequente, ut cum dico, Omnis homo fuit capax disciplinæ, igitur omnis homo qui est fuit disciplinæ capax.

Cæterùm, quando eadem uidetur hæc argumentandi forma, cum ea, quæ est à genere ad speciem, nihil aliud hic præscribemus, quàm quod libro 2. Topicorum circa prædictum locum præscribitur obseruandum.

DE RESTRICTIONE.

CAPVT XII.

Restrictionem quodammodo Ampliationi crntrariam contra- *apparet, quum illa effundat terminum, hæc colligat, atqué compescat.*

Est itaqué restrictio Termini cohibitio, *ne tam latè illius significatio pateat, ut hîc: Homo pius Deo acceptus est to (homo) non tam latè significationem expandit, quàm si adiectiuum(pius) illi admotum non esset. Si enim auferas adiectiuum, de omni homine possit intelligi, cum adhibetur non potest.*

Fit uero modis plurimis Restrictio, non per Nomen solum, sed & per Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Coniunctionem, & Præpositionem cum suo casu, ut uir doctus, illud meritũ, homo sapit, amor æstuans, minus prudenter, lapis

quatenus quadratus, crudelis in parentes. Tribus potissimum modis fit nominis Restrictio.

IN PRIMIS.

Admoto adiectiuo, sic: Amicus certus in re incerta noscitur.

Aduertendum obiter hic est, omnia adiectiua uim eandem substantiua determinandi non habere. Aliqua enim solummodo compescunt, ac contrahunt significationẽ ad pauciora: vt ea, quæ in exẽplis mox præmissis, adduximus, uocanturq; determinationes restringentes, & illa sunt præsentis contemplationis, non reliqua, quæ sequuntur adiectiua.

Alia prorsus auertunt significationem, ut mortuus, pictus, & quæcunque sunt talia, Hic enim Homo est mortuus, illud (homo) pro solo cadauere ponitur. Et hic: Cicero est pictus, pro sola pictura accipitur (Cicero.) Quare huiusmodi adiectiua determinationes distrahentes, siue alienantes appellata sunt.

Alia insuper neque contrahunt, neque auertunt significationem, sed eam docent, & explanãt, ut cum dico: Nilus egregius fluuius Aegypti septem habet ostia. Similiter cum dico: Optat ephippia bos piger, adiectiuum (piger) proprietatem boum docens, indicat bouem animal esse pigrum.

Alia deniq; effundunt Terminum ad ea etiã, quæ

non sunt, ut possibile in hac: Non omnis homo *possiblis nunc uiuit.*

SECVNDO.

Nominis Restrictio *fit obliquo nomine, ut* Ciceronis *officia*, Puer *spectabilis indolis*, Homo *claro nomine, & fama integra.*

TERTIO,

Appositione substantiui constrictioris, siue minus communis ad uocem latiorem, siue communiorem, ut Virgo Maria, Christus Iesus, Vrbs Roma *Praeterea fit nonnunquàm etiam* Restrictio *per* Relatiuum*, sic: Is frangat nucem, qui nucleum esse uult: per quam orationem non omnibus frangenda nux edicitur.*

Ergo *si nominis erit restrictio, illud pro paucioribus ponetur, quam citra restrictionem:* Si *uerbi id, non tam liberè accommodabitur subiecto, ut hic ingratè paret, qui paret cōpulsus, &* Amore *pecuniæ omnia sunt facilia, à quibus orationibus, si auferas illa (ingratè, & amore pecuniæ) non ita constricta erit accommodatio uerborum ad subiecta.*
Si denique aduerbij restrictio per aliud aduerbium fuerit, ut parum candidè, minus prudenter, tantum contrahetur aduerbij significatio, ut non sit

tam libera.

Postremo illud retinẽdum perpetua memoria est, quod Terminus *cohibitus, siue restrictus accipitur pro modulo cohibentis, siue restringentis, ut:* Vir, pius *pro solis pijs.* Et *de uerbo restringente, siue cohibente significationem subiecti, hic est celeberrimus canon, quod subiecta* Propositionum *accipiuntur pro ratione, ac permissu uerborum, &* Praedicatorum.

DE APPELLATIONE CAPVT XIII.

Veteres *de* Appellationibus *plurima aliquando sunt commenti, quæ quia superuacanea, & planè arbitraria, magna ex parte uisa sunt, à nobis sũt prætermissa.*

Quæ usum aliquem habent ad Epitasin *sunt referenda. Quod enim appellationem* Dialectici *uocant, ut uideo* Papam, *hoc est, fungentem iam pontificatu,* Grammatici *uocant epitasin, & magnum usum habet figura, cùm sententia postulat aliquod nomen urgeri, ut siue dicas carnes crudas comedi, siue dicas come di carnes crudas, modo urgeas adiectiuum crudas,* Epitasis *est in eo adiectiuo.*

Quaré de his, ac cæteris omnibus sentiendum, atque iudicandum iuxta Grammaticos, *& receptum*

loquendi usum, ac intelligendi consuetudinem, qua nulla lex, nulla regula in huiusmodi re certior re- periri potest, ad quam etiam omnia, quæ à nobis hactenus dicta sunt, tanquam ad lydium (quod aiunt) lapidem explorari uolo, ut si quæ contra re- ceptam, & communem loquendi, intelligendiq; con- suetudinem fortassis nobis properantibus, & minus forsan ad singula attentis, dum quotidiano docendi la- bore exagitamur, excidisse præcepta inueniantur, careant autoritate, & sequentibus æditionibus, aut omittantur omnino, aut ab erudito quopiam muten- tur: Quod ne nos quidem postea, si opus sit, face- re detractabimus, dum licebit per otium, & studia grauiora. Nec enim Grammatico, nec Rhetori, nec Dialectico, nisi in usitato sermone, eiusq; re- cepto sensu, quæ sui sunt muneris peragere conces- sum est. Grammaticus rationem perquirit, & uer borum simplicium, & aptæ compositionis. Dia- lecticus, quæ faciant sensus ueros, quæ falsos, Rhe tor, quæ sint pulchra, ornata, insignia.

Si Grammaticus nouum aliquod, & inusitatum adferat uocabulum, aut aliter loqui doceat, quàm doctornm est consuetudo, iure, ut barbarus explo- detur.

Si Rhetor dicturus, inaudita, & absurda com- miniscatur schemata, stultitiam hominis meritò ri- debunt, & exibilabunt omnes.

Quod si Dialecticus uerum & falsum scrutetur

fictis

fictis suo arbitratu uerbis, aut uerborum sensis, relictis illis uulgaribus, & receptis, an non dicent omnes, quibus lingua erit nota, Bone uir, non nostri sermonis uerum inquiris, sed tuorum somniorum. An nescis Dialecticam tuam (si eius aliquis sit usus) præcepta esse in usitata lingua, eiusque communi sẽsu obseruata? Certè ignorare non debes, Ciceronem, & ueteres Latinos linguæ Latinæ, Aristotelem, & omnes Græcos, Græcæ linguæ usum secutos esse, Vbicunque de sensu uerborum agitur. Quod ab te non ignorari, uel hoc arguit, quòd multa quoque per communem intelligendi modum tutè ipse probare consueueris.

DE EXPOSITIONE.

CAPVT XIIII.

Nihil præterea additurus Progymnasmatis meis (si modo mea sunt, quæ ingenuè fateor ex optimi cuiusque sententijs concinnata) propositionum obscurarum exponendi rationem prætermisissem omninò, ob id in primis, quòd partim à Physicis, partim à Grammaticis petenda esset; Deindè quòd Expositio non tam Termini affectio sit, si uerum confiteri licet, quàm totius Propositionis; quanquàm ex Termino aliquo orationi obrepsit: Sed hac de re nobis paucula quædam uideo dicenda; ne hic Scholæ con-

suetudo desiderare à nobis id possit, quod minimè est contemnendum, quodque magnum usum habere certum est in captiosis argumentationibus dissoluendis; quandoquidem rationum captiosarum uitia Expositione mox innotescunt.

Est igitur Expositio, obscuritatis, quae in Propositionem per Terminum primo minus intellectui audientis obuium irrepserat, explicatio.

Cuius exempla in proximo accipies. Porrò Propositionum (quas uulgo in Scholis exponibiles uocant) genera sex sunt: Exclusiuae, exceptiuae, reduplicatiuae, ex uerbis incipit, & desinit, ex differt aliud, & diuersum, denique ex comparatiuo, aut superlatiuo constitutae, quas nos ordine explicabimus.

Exclusiuae Propositiones dicuntur, quas exclusionis signa obscuras reddiderunt, ut Solus sapiens diues est.

Signa Exclusiua sunt, Solus, unicus, modò, solum tantum, tantummodò, solummodò, & si quae sunt alia huius significationis. Obscuritas autem Propositionum exclusiuarum ex eo accidit, quòd plura exclusa esse arbitretur quis, quàm sint exclusa.

Caeterum quoniam non unius formae sunt Exclusiuae Propositiones omnes; idcirco, nec unica eas exponendi ratio est: eaque uarietas clarius, & breuius exemplis ostendetur, quàm regulis.

IN PRIMIS.

Quædam sunt Exclusiuæ, in quibus nulla negatio est, quæ ad exemplum hoc exponuntur: Tantùm brutum est animal, hoc est, Brutum est animal, & nihil aliud à bruto est animal.

SECVNDO.

Quædam sunt, in quibus negatio toti præfigitur Propositioni, quæ sic explicantur: non tantum brutum est animal, id est, uel nullum brutum est animal, uel aliquid aliud à bruto est animal.

TERTIO,


Soli uerbo & non signo exclusiuo negatio admouetur. Quæ huius exemplo exponuntur. Tantum deus non est creatura, hoc est, Deus non est creatura, & quecunq; res non est Deus, est creatura

QVARTO.

Tam signo quàm uerbo negatio additur, ut non tantum Græcus non est Barbarus. Quam sic uolunt exponendam esse: Omnis Græcus est barbarus, uel aliquis, qui non est Græcus, non est barbarus

His quatuor expositionum formulis memoria re-

tinendis artificiosa excogitata sunt uocabula itidem quatuor: Piger, Stertit, orans, raro. Quæ singula suis formis ueniunt accommodanda, primum primæ, secundum secundæ, &c. obseruata significatione uocalium ijs contentarum.



Aduertendum est, quod expositio per disiunctionem fiat semper, quoties negatio præfigitur signo exclusionis, ut in exemplis datis patuit.

Aliter autem, quàm adhuc ostendimus explicabuntur, in quibus signum exclusionis adhibetur dictionis numerali, ut Tantum sunt quinq; Prædicabilia, Tantum quatuor sunt Elementa, Tantum duodecim Christi sunt Apostoli: Quæ non sunt propriè exclusiuæ, si quidem (ut magis id conuenit facere) gratia pluralitatis concipiantnr. Huiusmodi enim, ueteres Dialectici bis posse concipi opinati sunt, semel gratia pluralitatis, ita, ut per nomen plures explicare eas oporteat, sic: Tantum quatuor sunt Elementa, nec plura quàm quatuor.

Secundò (ut loquuntur) alietatis gratia, ut per nomen alius, alia, aliud, exponendæ ueniant, hoc pacto: Quatuor sunt Elementa*, nec alia ab his quatuor sunt* Elementa.

Cæterum nouerunt literarum studiosi, uel ex triuialibus Grammaticorum *præceptis, quomodò explicandæ sint exclusiuæ de excluso extremo, quæ uidelicet inter partes alterius extremi interceptum habent exclusionis signum.* Nec *proprie* Proposi*tiones exclusiuæ dicendæ sunt.* Vt *quod hæc:* Ioan*nes est tantum* Grammaticus*, non neget ipsum esse magnum, pium, aut candidum, sed* Dialecticum*, aut* Theologum*, aut alia quauis liberali disciplina præditum, manifestum est.* Nam *si dictio mox apposita uocabulo exclusiuo accidens alterius extremi designet, excludentur solum accidentia alia, quæ sunt ei usdem rationis, aut generis.*

DE EXCEPTIVIS

CAPVT XV.

Exceptiuæ Propositiones dicuntur, quas exceptionis uocula obscuras reddit. *Excipientes dictiones sunt,* Præter*, præterquàm, nisi, & excepio, quæq; similis sunt significationis.* Propositiones *exceptiuas, siue affirmatiuæ illæ erũt, siue negatiuæ, sat fuerit exponere ad hæc paradigmata:*

Omne animal, præter hominem, est rationis expers, hoc est, omne animal, quod non est homo est rationis expers. Nullus populus (Christianũ semper excipio) rectè Deum colit, hoc est, nullus populus, qui non est Christianus, rectè colit Deũ.

Quod attinet ad ueterum de huiusmodi exponendis præscripta, qui has per tres alias dissimilis qualitatis exponi uolunt, hoc modo: Omne animal, præter hominem, expers rationis est. Omne animal quod non est homo, est rationis expers, & homo est animal, & nullus homo est expers rationis apparet hos indicasse potius, quot Propositiones ex una exceptiua rectissime consequantur, quam exceptiuè exposuisse. Prima enim illarum trium abundè uim exceptiuæ dictionis explicasse uidetur.

Plura Exceptiuarum Propositionum genera maiores tradidere, ex quibus quædam sordida sunt, & ab ipsis, qui ob temporis iniuriam imperiti erant, non satis Latinè conficta, neque unquàm probati cuiusquam autoris usu recepta. Cuiusmodi sunt: Omnis homo non præter sortem currit, & non omnis homo non præter sortem non currit. Quas relinquimus autoribus suis exponendas.

DE REDVPLICATIVIS.

CAPVT XVI.

Propositiones Reduplicatiuæ sunt, quas reduplicationis dictio obscuras *facit*; *ut homo, quatenus rationalis, capax est æternæ beatitudinis.*

Reduplicationis signa sunt, inquantum, quatenus, ut, qua, & quæcunq; huius significationis uim obtinent: Sic *dicta, quod in uno extremo uelut replicent causam, propter quam ei alterum extremum conueniat.* Cum *enim audis, homo, quatenus ex elementis contrarijs constat, est mortalis. Illud (quatenus constat &c.) ita accipies, ut sit causa cur homo sit obnoxius morti.*

Et hic proprius est harum particularum usus, ut designent causam, propter quam prædicatum subiecto insit. Minus *proprius usus est, ut solum consequentiam, & quandam necessariam concomitantiam denotent, ut si dicas:* Animal, *quatenus risibile, est rationale; solum significatur rationale necessario sequi ad risibile.*

T*ertio accipiuntur eædem particulæ specificatiue (ut dicunt) cum nimirum significatur aliquid inesse alteri secundum determinationem aliquam, quæ nec est causa inhærentiæ, nec alterius illatiua ut si dicas:* Musicus *quatenus ægrotus sanatur,*

ægrotatio non est causa sanationis, sed solum explicat, quomodo sanari Musico competat.

His præmissis, de huiusmodi Propositionum expositione sic iudicandum est. Reduplicatiua in qua denotatur causa, exponenda est per causalem hypotheticam, hoc modo, homo quatenus est rationalis, est risibilis, id est, quia est rationalis, est risibilis.

Negatiua: Homo non in quantum rationalis est niger, sic exponuntur: Homo non quia rationalis est, est niger. vbi autem sola denotatur unius ex altero consecutio, per hypotheticam conditionalem expositio fiat: ut animal quatenus risibile, est rationale: id est, si sit risibile, est rationale.

Si uero specificatiuè accipiatur, hoc modo expones: Ens ut ens est subiectum Metaphysices: id est, ens acceptum sub generali ratione entis.

Sordida quoque in hoc genere sunt, & autorum usu non recepta, ac proinde non exponenda. Non omnis homo quatenus rationalis, non est risibilis, quæ prorsus abijci debet cum similibus, & magis monstrosis, qualis hæc est: Non omnis homo non quatenus rationalis, non est Sortes.

De Propositionibus exponendis ob uerba Incipit, & Desinit.

De expositione Propositionum, quas uerba Incipit, & desinit, & eius significationis alia, obscuras reddunt, si hic exactius esset agendum, plurima necessario præmittenda forent, quæ non tam Dialectica quàm Physica dixeris, De rebus nimirũ permanentibus & successiuis, Deinde de instantis natura: Denique de instantium uarietate multiplici, quæ consulte hic committimus; ne rem, quæ crassis occulata, & circunfusa tenebris etiam prouectiores sæpè latet, quod in eam nulla acies humani ingenij ante perceptam bonam magnamque Physices partem penetrare possit, hic rudibus pueris obtrudere uoluisse uideamur.

Satis itaque fuerit uno, aut altero paradigmate huius expositionis gustum studiosis præbuisse.

De rebus permanentibus, quæ incipiunt, aut desinunt esse, hoc exemplum:

Homo incipit esse.

Sic explicant: Homo nunc est, *&* immediate *ante hac non fuit.*

Homo desinit esse.

Sic exponunt: Homo nunc non est, *&* immediatè *ante hac fuit.*

De rebus successiuis, quæ esse incipiunt, hoc exemplum esto.

Motus incipit esse

Cuius sensum ita reddunt: Motus nunc non est, *& immediatè post hac erit.*

De successiuis desinentibus hoc sit exemplum:

Motus desinit esse.

Quod sic exponunt quidam: Motus nunc est, *& immediatè post hac non erit. Alij sic explicare malunt:* Motus nunc non est, *& immediatè ante hac fuit: sicut de rebus permanentibus, cum desinere dicuntur diximus. Nam uolunt omnes res tam successiuas, quàm permanentes desinere per primum instans non esse, Sic enim loquuntur. Sed hanc controuersiam Physicis decidendam relinquimus, quos consulere debet circa 3 & 4 Phy. quisquis exactam huiusmodi Propositionum axplicandi rationem habere, eamq; plenè intelligere uelit.*

Vnum prædictis addendum putamus, quòd ueteres Dialectici hic monent ad exactiorem ampliationis terminorum, cuius supra meminimus, cognitionem habendam: nimirum, Dictionem rectam à uerbis Incipit, & Desinit, quæque plura sunt eius generis, ad tot extendi temporis differentias, quot

in exponentibus declarantur : ut motus incipit esse, uolunt ampliari uocem motus, ut accipiatur pro eo, qui nunc est, uel immediatè posthac erit. Contrà hic : homo esse desinit, dilatatur dicunt, uox (homo) ut pro eo capiatur, qui nunc est, uel immediatè fuit.

De Propositionibus exponendis ob uerbum Differt, & nomine Diuersum, & Aliud Ab.

CAPVT XVIII.

Propositionum, quæ constant nomine diuersum, aut aliud. Item uerbo differt facilis explicatio uidetur. Nam si negatiuæ sunt, explicantur per hypotheticam disiunctiuam : ut, homo non differt, nō est alius, non est diuersus ab equo, hunc in modum exponetur : Aut homo non est, aut equus non est, aut homo est equus.

Affirmatiuæ autem per copulatiuam hypotheticam prædictæ disiunctiuæ contradicentem explicantur : ut Homo differt ab equo, hoc est : homo est et equus est, sed homo non est equus. Sed interim huiusmodi Propositiones ueræ admittuntur, etiam à doctissimis quibusque, ut tertia exponentium duntaxat sit uera, nulla scilicet habita temporis ratione. Verbi gratia : Quis neget istam : Socrates iam senex differt a seipso puero.

Quæ ita exponi debet: Socrates senex non est ipse puer, ut oportunius disputari solet, circa acceptionem differentiæ communis apud Porphyrium, qui idem facità seipso diuersum, comparatione temporum diuersorum, & proinde accidentium, quæ uno tempore adsunt, alio absunt, ut accidentis est natura.

De Propositionibus, quæ expositione alicuius Comparatiui indigent.

CAPVT XIX.

Propositionum comparatiuo constantium tam obuia expositio est, ut potuerint non numerari cum Propositionibus, quæ egent explicatione: Verum quia aliter uisum est ueteribus Dialecticis, de illis quoque tràdemus nonnulla.

In primis est aduertendum, ut apta conueniensque sit comparatio, & proinde Comparatiui expositio, necessum esse, ut duo aliqua in tertio conferantur. Quare non est idonea comparatio: Creatura est imperfectior creatore, Deus melior est diabolo, cum hæ orationes ueræ esse non possint: Creator est imperfectus, diabolus est bonus.

Id, quod Aristoteles quoque docet in secunda proprietate qualitatis, cum dicit: Simpliciter autem, si utraque non recipiant propositi rationem, non dicetur alterum altero magis: Vt ibi latius declarabitur.

Hic sufficerit adnotasse, quod ex dicto Aristo*telis loco colligi consueuit: improprie comparatiuum accipi, quoties per unicam exponentem aut per contrarium positiuum eum interpretamur addito minus*

Exempli gratia: *Simplex furtum melius est sacrilegio, sic exponitur: Simplex furtum minus malum est sacrilegio.*

Item: *Creatura est imperfectior creatore, hoc est, Creator non est tam imperfectus, quam creatura, cum omnino imperfectus non sit.*

Quæ uero idoneam denotant comparationem, sūt per tres Propositiones *exponendæ, hoc modo, Si affirmatiuæ sunt: Leo est fortior mula, hoc est, Leo est fortis, omnis item mula fortis est.*

Nulla tamen mula tam fortis est, quam leo, quæ ultima exponentium excessum comparatiui designat particula (tam) æqualitatem negante.

Negatiuis uero Propositionibus *quæ affirmationibus dictis contradicunt, contraria quoque ratione expositio accommodanda est: ut:* Non omnis *leo fortior est mula, sic exponetur.*

Aliquis leo non est fortis, aut non est tam fortis, quam mula.

De exponendis Propositionibus ob dictiones gradus Superlatiui.

DE DISPVTATIONIS NECESSARIO VSV inter studiosos Artium.

PRAEFATIO.



Vum inter omnia Dialectices munera præcipuum sit argumentari, nec aliter argumentandi promptitudo, quàm frequenti exercitio assiduoq; usu, rem aliquã in disputationibus tum defendendi, tum oppugnandi, progignatur: prudenter admodum & ualde utiliter à maioribus est institutum, ut Philosophiæ destinata iuuentus a primis Logicæ rudimentis, crebra statim exerceatur disputatione.

Nam præcepta (ut ommittamus quod sine exercitatione ne intelligi quidem satis queant) adolescẽtibus uiam tantum ac rationem ostendunt ad Artes perueniendi, artificem autem non efficiunt: hoc enim solius est exercitationis, adeo usus & experientia in artibus dominantur.

Quare Vsus, rerum cunctarum pater, atque magister rectè dictus est antiquitati, recteq; apud Græcos celebratur illud, Exercitatio potest omnia. Exercitationis enim tanta uis est & potestas, ut na

DE DISPVTATIONE

CAPVT I.

Quid eſt diſputatio.



S T ueritatis indagandæ cauſa, uel etiam mutuæ exercitationis gratia, de aliquo propoſito themate duorum uel plurium inter ſe diſceptatio: ut uidelicet ex mutua exercitatione euadant promptiores. Quod ſi quis apud ſe diſceptet, is licet unus, pro pluribus tamen reputatur, cum uiciſſim Oppugnantis atque Defendentis fungatur officio.

Qnid uocas Thema?

Quod tanquam dubium incertumq; in medium adducitur: quodq; in diſputationibus ab alio defenditur, ab alio oppugnatur: uulgus Poſitionem uocat.

Ad quid inuenta eſt Diſputatio?

Vt emergere ueritas poſſit, quam ueluti in altiſſimo puteo demerſam latere Democritus pronunciauit. Enimuerò denſa corporis obſcuritate oppreſſa

atque hebetata mentis nostræ acies ueritatem clare non intuetur. Sed nos obscuritatem hanc à nobis in res ipsas traducimus, ut eas tenebris altissimis obrui dicamus, & inexplicabilibus inuolucris occultari. Ad acuendam igitur mentem sic obtusã ingenium humanum examinandæ ueritatis facultatem à deo accepit, cuius functio disputatio nominatur. Nam quemadmodum uites, nuces, argentũ & aurum putantur atque purgantur reiectis inutilibus: ita in examine illo & inquisitione ueritatis seu Di*sputatione remotis tum falsis, tum ambiguis, & incertis, ad ea demum peruenitur, quæ dubio procul uera sunt.*

A*d obscurandam uero rem argutari, ut quidam ostentatores ingenij faciant, est perniciosissime abuti* Di*sputatione.*

Certisne disputatur legibus?

Certis profecto: & sunt complures, quarum aliquas recensebimus.

PRIMA.

In disputationibus uoces ambiguæ uitentur.

Di*sputaturi igitur in primis: rem quæ in disputationibus uersabitur, certæ significationis uocibus constituant atque designent, uocum ambiguitatem tollant:* A*lias fieri non potest, quin in media disputatione à rerum scopo excidant.*

Si inter disputandum amphibolia aut æquiuocatio ingeratur, peti potest à proponente (quia erroris mater fuit æquiuocatio semper) quam significationem intendat: ut alias interim omnes remoueat. Quemadmodum enim diuersitas multarum uiarum concurrentium, uiatorem ambiguum reddit, quà scilicet sibi sit potissimum eundum, Quod elegantissime in Fastis hoc dicto suo annotauit Ouidius:

Vt stat & incertus quà sit sibi nescit eundum,
Cum uidet ex omni parte uiator iter,

Ita quoque diuersitas & multiplicitas significationum unius eiusdemq; dictionis aut orationis, intellectum hominis in dubitationem adducit, de qua significatione præcipue sit sermo.

SECVNDA.

Manifeste falsam nullus pertinaciter defendat, aut manifeste uerum oppugnet.

Adserit Quintilianus culpam præsertim deprehensam pertinaciter tueri, culpam esse alteram: Et in dubie errorem errori accumulat, quisquis deprehensum non confitetur. Nam uno absurdo dato *cætera accidũt, ut in Physicis frequẽter habet* Aristoteles *Satius itaq; est errore lapsũ palinodiã canere quã falsũ obstinatè & impudẽter defẽdere, & nihil*

quicquam de uictoria aduersario concedere uelle.

Contra manifestam autem & apud nullos contro uersam ueritatem disputare assuescere, pernitiosnm uidetur: ne si id quandoque ioco fieret, fiat aliquando serio, quum praua animi libido, oblata occasione, illuc rapiet. Nemo igitur uerum labefactando aut falsum mordicus defendrndo, ingeniosus aut doctus uideri desyderet.

TERTIA.

Concertantium iudicia sint integra, nullisq; affectionibns prauis perturbentur.

Experimur perturbatis ira, aut simili affectione mala animis quendam rationi fumum offundi, quo ueritatis perspiciendæ facultas contendentibus eripi solet. Vtilissimum ergo est uehementius urgente quopiam, aut etiam altercante, prorsus animo non commoueri. Nam, Impedit ira animum ne possit cernere uerum. Idcirco biliosi, feruidi, irritabiles, captatores inanis gloriæ non sunt idonei altercationi, præsertim aduersus Sophistam uafrum: Incenduntur enim facilè, atque adeo animo commouentur, ut neque quid respondeatur, neque quid obijciatur animaduertant.

QVARTA.

In altercatione omni mox quid positū

in controuersia sit, magna cura inspiciatur.

Id in disputando altercandoque caput est scire quid præcipuè controuertatur, & de quo disputantes contendant: Alioqui sæpius temere litigare atq; ridicule multa ultro citroque uerba iactare continget. Quod sæpe in disputando euenire uidemus, dũ de Allijs interrogati, iuxta prouerbium, de Cepis respondent: quando alter quidem cœlum agitari ait alter terrã in mũdi medio quiescere, euincere cõatur

Quot ad Disputationem sunt necessarii?

DVO.	*Oppugnans.*
	Defendens.

Nam oppugnare & defendere pro opponere & respondere, quibus Scholæ familiarius utuntur, Cicero in secundo de Oratore sic dixit: Carneadis uero uis incredibilis illa dicendi & uarietas, perquàm esset optanda nobis, qui nullam unquàm in illis suis disputationibus rem defendit, quàm non probarit: nullam oppugnauit quam non euerterit. Vbi obiter aduertat studiosus defendere rem aliquam in disputationibus, Ciceroni id esse, quod minus elegãter dicunt: Positionem defendere.

Quem Oppugnantem vocas?

Oppugnans est, qui argumentum proponit, negatum probat, & datam solutionē conuellere studet.

Quem defendentem.

Defendens est, qui argumentationem ab altero propositam repetit, repetitam diluit, atq; dissoluit.

De Opugnante.

CAPVT II.

Quod est officium rem aliquam in disputatione Oppugnantis.



Fficium eius est, argumētum contra respōdentis propositū inuenire, idq; obijcere, Negatum probare, Solutionem factæ obiectionis alia obiectiōe impugnare, quod uulgo dicūt replicare, quasi rursus dicere, seu nectere argumentationem.

Quam uocas Argumentationem?

Orationem quandam compositam ex Antecedente & Consequente & Nota illationis, ut Plato est homo, ergo Plato est animal.

Item hæc est argumentatio in Miloniana Ciceronis: Quisquis uim ui repellit, iustè facit, Milo occidens Clodium, uim ui repulit, ergo Milo Clodium occidens, iuste fecit.

Quæ est illationis nota

Coniunctio qua una propositio ex altera sequi denotatur. Estq; ea uel causalis, uel conditionalis uel rationalis: fere tamen in diatribis scholasticis & disputationibus uocalibus (ad quas potissimum studiosos hoc libello præparamus & instituimus) utimur rationali tantum coniunctione, Ergo uel Igitur.

Quid est Antecedens?

Est prior pars argumentationis quæ alteram propositionem infert. Atq; hanc eo dici Antecedens asserunt, quod notam illationis præcedat, sicut Consequens à sequendo eam nomen habere uolunt.

Hic diligenter est aduertendum antecedens argumentationis nonnunquam simplicem esse propositionem, ut in Enthymemate & subinde in exemplo usu uenit.

Non nunquàm uero ex pluribus huiusmodi propositionibus compositam, quod in Syllogismo & inductione perfecta est perpetuum.

Syllogismi enim antecedens constat

ex duabus præmissis, quarum prior uocatur Maior, *posterior* Minor. *Inductionis autem perfectæ, antecedens frequenter ex longe pluribus conficitur propositionibus quæ peculiare nomen non habent, sed uocantur prima pars antecedentis, secunda pars, tertia, & cæ.*

Quid consequens.

Consequens est argumentationis posterior, quæ nimirum ex altera infertur propositione.

Vocant uero propositionem (ut obiter pro maiori declaratione hoc addamus) Orationem *quæ uerũ uel falsum designat: ut,* Plato *est homo.* Cuius *tres uolunt esse partes:* Subiectum, Prædicatum et Copulam, *ad rationem partium* Argumentationis.

Subiectum *enim (dicunt) in propositione quodammodo se habet, quemadmodum* Antecedens *in argumentatione.* Est *enim utrunque sui totius prima pars,*

Prædicatum *pars postrema est propositionis, sicut consequens argumentationis.*

Verbalis copula (nimirum uerbum substantiuum in propositione positum) sui totius partes ad inuicẽ nectit, ut signum illationis. Quod *studiosis facile fuerit deprehendere.*

DE DEFENDENTE.

Quomodo debeat respondere ad Antecedens,

CAPVT III.

Quod est officium rem aliquam in disputationibus defendentis.



Fficium eius est curare: in primis, ut perspectam habeat illorum omnium naturam, de quibus respondet : Deinde, *ut animum atque oculos infixos habeat in id semper, quod disputatione defendit, ne si minus prouidé circunspiciat, captiose ab aduersario excipiatur.* Postremo, *ut quicquid obiectum sit primum resumat, & ita respondeat.*

Quomodo est defendenti resumendum.

Repetendo, *quantum fieri potest, eadem uerba omnia ordine quo proponuntur á contradisputante : Idque fiat alacri animo, & clara uoce, ad minimũ bis : præsertim antequám assueuerit scholasticis disputationibus.* Vbi uero *paulatim doctior euaserit,*

disputationibus. Vbi uero paulatim doctior euaserit, aut quæstio sit facilior unica suffecerit repetitio modo quod iam diximus illa sit exacta & perfecta, tum enim iuxta prouerbium :

Responsi medium, qui bene cœpit habet. Vt non immerito dictum sit bene fideliterq; repetita argumentatio bona ex parte dissoluta est.

Ridiculum est & à bene instituto ingenio alienum esse debet inter resumendum quidquam detrahere, aut de tuo addere ut impugnantem ex recto tramite Sophistarum more deturbes. Sicut etiam illud est plus respondere quàm rogaris. De quo Au lus Gellius noctium Atticarum libro decimo sexto per totum caput differit ad modum utiliter, sed prolixius quàm ut uelimus transcribere.

Quare sic est resumendum.

Quia præceps & impræmeditata responsio uitio carere non solet, & plerunq; in errorem præcipitat.

Præter hoc autem quod responsuro præmeditandi tempus, excogitandiq; argumentationis solutionẽ aut rectam propositæ quæstionis responsionem conceditur, dum quæstio uel argumentatio proposita resumitur, etiam illud accedit commodi, quod propositum quicquid id demum est melius intelligitur. Insuper si inter resumendum qui respondet forte errauerit, nec satis bene intellerit quod proponitur dirigi à contra disputante potest ac debet.

Quocirca discant quotidie iuuenes argumentationis quæstionis ue resumendæ consuetudinem adsumere.

Porrò impendere honorem in resumendo magis est modestum & receptum, quam necessarium ad responsionem.

Quomodo Defendentem facta iam repetitione Respondere oportet.

Respondendum est uel Negando, uel Concedendo uel Distinguendo, idque fere uel Antecedens, uel Consequentiam, uel Assumptum, secundum quod multiplicia sunt quæ obijciuntur, uel nihil obsunt proposito, uel obesse quidem uidentur: sed peccāt aut in materia, ut cum & falsis connectitur consequentia: aut in forma, ut quando, non obseruatur debita argumentandi ratio. Quæ autem sit illa, ex Aristotelis organo est petendum, præsertim ex ijs libris qui priora Analytica inscribuntur.

Quid est Negare Antecedens.

Est asserere ipsum esse falsum. Obseruandum tamen est diligenter, quando Antecedens plures habet partes (quod in Inductione perfecta & Syllogismo perpetuum esse diximus) si una uera sit, puta posterior: & prior sit falsa, dicatur priorē partē antecedentis, uel si syllogismus sit, Maiorē nego. Pari forma respondendum, si posterior pars falsa sit priore uera.

Sin uero totum Antecedens falſum uideatur, ſimpliciter reſpondendum : Nego Antecedens , uel: Nego totum Antecedens.

Obſeruandum præterea eſt in Antecedente aliquando exprimi ſequelam unius ex alio , per uerbũ optatiui modi , mediante coniunctione (ſi) ut in hac argumentatione : Si homo eſſet animal , ſequeretur quod homo eſſet beſtia , ſed hoc eſt falſum, ergo etiam illud ex quo ſequitur . Hic neganda eſt ſequela in priore parte Antecedentis expreſſa .

Quid eſt Antecendens Concedere ?

Et ipſum uerum eſſe admittere .

Quid Diſtingere Antecedens ?

Eſt Antecedens multiplex eſſe , diueſaq; habere ſignificata , oſtendere , ipſum'q; in plures ſenſus diſtribuere quod tum fiet quando propoſitio in uno ſenſu uera eſt , in altero falſa , ut Vellem me occidere hoſtes , ſignificat & quod ego uellem occidere hoſtes & quod uellem ab hoſtibus occidi : in quo ſenſu falſa eſt , in priori forſitan uera.

Similiter hæc propoſitio : Canis eſt animal , diſtinguitur , cum dicimus , Si eius ſubiectum capiatur pro cane domeſtico , uel æquoreo , ipſa eſt uera. Si uero pro cane cœleſti , pro quodam uidelicet ſydere , falſa eſt , & neganda . De huiuſmodi diſtinctione multiplicis , pulchre Ariſtoteles noſter ſub finem primi Topicorum : ex quo nota hanc regulam:

Omne ambiguum prius est distinguendum, quàm ad ipsum sit respondendum.

Hactenus de Responsione ad antecedens. Idem omnino de Assumpto negando, concedendo, uel distinguendo est iudicium, secundum quod Assumptum, hoc est, ut scholæ nostræ intelligunt, nude sine illatione assumpta propositio, aut uera est, aut falsa, aut multiplex.

QVOMODO DEFENDENS diiudicaturus sit Antecedentis ueritatem falsitatem ue.

CAPVT IIII.

Quæ propositio uera esse iudcanda est?



Ropositio est iudicanda uera, quæ ut res est, ita significat Quemadmodum enim hædera ante diuersoriam tabrenã suspensa, dicitur esse signum uerum, cum (sicuti indicat ipsa) ibi uinum est uenale: ita propositio dicitur uera cum sic est in re, sicut ipsa significat esse: ut Aethiops est niger, est uera, nam ita in re est: Vel non est ita in re, sicut ipsa si

gnificat non esse, ut Aethiops non est albus, Equus non est lapis.

Illud est hic aduertendum sub uerbo præsentis temporis (est) intelligi debere etiam alia tempora (fuit) (erit) &c. Nam autores breuitati studentes, sub uno similium alia consimilia comprehendere solent, & pauca exprimentes, multa nonunquàm subintelligi uolunt, quæ ab his, qui rectam intelligentiam quærunt, diligentiam adhibent, & facile cognoscuntur.

Itaque propositio de præterito uera est, quæ ut res fuit, ita significat fuisse, ut: Adam genuit Abel.

De futuro uera est, quæ ut res erit significat fore, ut Sol orietur cras. Et ita de alijs per analogiã

Atque hæc quidem intelliguntur de propositionibus quarum copula importat tempus. Cæterum in illis, quarum copula à tempore absoluitur, & nullam prorsus temporis differentiam designant, propositio uera est quæ ut res nata est esse, ita significat: ut tonitruum est sonus, est propositio uera, etiam cum nullum tonitru auditur.

Similiter & hæc propositio: Rosa est flos, uera est in hyeme, cum nulla inuenitur rosa. Nam ad huiusmodi propositionum ueritatem non requiritur rei significatæ existentia, cum æqué ueræ sint re nòn existente, atque re existente, sed sufficit naturalis rei aptitudo.

Vsus uero est huiusmodi absolutionis à tempore

in propositionibus necessarijs. Cum enim audis: homo est animal: sic de ea quod uera sit cogitas, ut nullum interim certum tempus intellectu apprehendas. Quomodo non intelliguntur propositiones contingentes. Volunt à tempore absolutas esse omnes disciplinarum propositiones.

Tantum de ueritate propositionum, occasione modorum ad Antecedens *uel* Assumptum *respondendi sufficiat dixisse.* Nunc *de falsitate pauca addamus*

Quam Propositionem iudicas falsam?

Propositio falsa iudicatur, quæ aliter, quàm res se habet, significat. Quemadmodũ hædera ante tabernam diuersoriam suspensa dicitur signum falsum quando in ea domo non est uinum uenale.

Falsa itaq; est Propositio, quæ significat id esse quod non est, & ita de alijs prædicatis. Iterum sub tempore præsenti cætera comprehendendo.

Vbi uero copula nullam temporis rationem importat propositio falsa est, quæ aliter quàm res nata est esse significat: Vt Rosa non est flos, tonitru non est sonus. Nam aliter quam res esse apta est, significant.

Vnde datæ definitiones desumuntur.

Hæ definitiones sumũtur ex hac propositione Aristotelis: Ab eo quod res est aut non est, propositio


uera uel falsa dicitur. Qua Aristoteles aperte & uere tradit, unde sumenda sit propositionum ueritas uel falsitas

Atque hæc sufficere uidentur ad dijudicandam Antecedentis, uel alterius propositionis assumptæ ueritatem & falsitatem, quam diligenter spectare debebit, qui respondet, ut quando Antecedens uel Assumptum sit concedendum, quando negandum, intelligat Verum enim concedendum est, falsum negandum. Iam quomodo ad consequentiam respondendum sit uideamus.

DE DEFENDENTE

Quomodo debeat respondere ad Consequentiam?

CAPVT V.



On solum Antecedens aut simplicem aliquam propositionẽ assumptam, sed totam interdum argumentationem siue consequentiam, aut (ut politiores appellant) consecutionem negamus, concedimus, distinguimus.

Quid est negare Consequentiam?

Negare *Consequentiã est asserere datam argumenta*

mentationem esse malam. Caueat summopere qui rem aliquam in disputatione defendit, ne unquam neget Consequens: sed si Consequens falsum sit Antecedente uero, semper neganda est Consequentia.

Quid est consequentiam Concedere?

Consequentiam concedere est eam bonam & legitimam esse admittere.

Quid Distinguere Consequentiam?

Est Consequentiam propter aliquam ei accidentem uarietatem ostendere, aliquando bonam, aliquando malam esse, ut hæc consequentia:

Omne brutum est animal, ergo canis est animal, est sic distinguenda. Si in consequente capiatur canis pro cane domestico, uel marino, consequentia est bona. Si uero canis pro sydere capiatur, consequentia indubie est mala, quia antecedens uerum est, consequente falso.

Neque idcirco concedendum est, eandem consequentiam esse bonam & malam, Nam illa non est eadem secundum uocem & rem simul, sed secundum tantum. Idem autem in tota Logica sumitur, pro eo quod idem est nomine & re.

Quomodo Defendens dignoſcere poterit Conſecutionis firmitatem infirmitatem ue.

CAPVT. VI. ET VLTIMVM.

Quæ Conſequentia bona eſſe iudicanda eſt?



Onam iudicare ſolent, cuius Antecedens ſi ſit uerum, Conſequens eſſe falſum non poteſt idque propter mutuam Antecedentis & Conſequentis habitudinem, hoc eſt, quæ ex ſignificatione ſua talem inter Antecedens & Conſequens habitudinem importat, ut res ita ſe habere non poſſit, quemadmodum Antecedente ſignificatur, quin ita quoque res habere ſe debeat, quomodo conſequens rem habere deſignat.

	Syllogiſmus	
Huius ſunt	*Inductio*	*quas latiſſime Ariſ-*
ſpecies	*Exemplum*	*ſtot. in libris Ana-*
	Enthymema	*lyticis explicat.*

Ex data definitione manifeſtum eſt Conſequen

tiam accipere bonitatem ac robur suum, ex sola Antecedentis & Consequentis mutua inter se habitudine & significatione. Quod latius prosequitur Aristoteles in fine secundi Priorum.

Quare Sophistica axiomata illa, quæ magna grauitate inculcare solent Neoterici, nihil prorsus ad Consequentiæ rationem faciunt, quarum altera sic habet. Ad impossibile sequitur quodlibet, Quam ita declarabant: Antecedens impossibile nunquàm erit uerum Consequente falso.

Alia uero hæc est: Necessarium sequitur ex quolibet, Quæ consimili ratione probari uidebatur: Si Consequens sit necessarium, nunquàm continget uerum Antecedens esse, ut consequens falsum sit.

Quasi uero probati autores ex eo, quod impossibile est, quidlibet colligant, aut ad necessarium cõcludendum quoduis Antecedens adduxisse habeant satis: cum hoc exigat unum ex altero colligendi ratio ut ob necessariam partium inter se habitudinem, ac naturalem ueluti societatem atque uinculum, neque at uel esse, uel fingi Antecedens uerum, quin continuo & consequens uerum esse oporteat.

Quæ æstimanda est mala esse Consequentia?

Malam semper iudicant consequentiam, cuius etsi Antecedens sit uerum, non est necessum tamen

consequens etiā uerum esse, quæ uidelicet in speciem duntaxat consequentia putatur, cum ueram consequentiæ rationem nequaquàm obtineat. Cuiusmodi nos esse iudicamus etiam illas, quas bonas esse probant Sophistæ per maximas propositiones modo recitatas, ut: Hircoceruus est animal, ergo lapis est lignum. Item, Quantitas est substantia, ergo Deus est in cœlis. Quas nullo plane uinculo cohærere quiuis facile uiderit, nisi Tiresia ipso fuerit cæcior. Nam si uerum esse Antecedens imagineris, non tamen ob id continuo uerum consequens erit Et si Hircoceruum animal esse fingas, ex eo statim nō sequitur, lapidem esse lignum.

Rursus quàmuis consequens posterioris consequētiæ sit uerum, minime tamen ex antecedente sequitur. Quid enim obsecro hæc: Deus est in cœlis, cōmunionis habet cum priore illa: Quantitas est substantia?

Sanè dissolutas omnino scopas rectius dixeris, quàm bonam consequentis ex antecedente consecutionem, quod pluribus id genus exemplis declarare ei facillimum fuerit, qui consequentiæ bonitatem naturali propositionum societate & affinitate (ut fieri debere diximus) metietur.

Ex quo manifestum euadit consequentiæ nomen ad bonā malamq; collatum analogon esse, cuius principale significatum sit bona consequentia.

Diuidunt autem bonam consequentiam in mate

rialem & formalem, sic enim uocant.

Consequentia bona — Materialis. / Formalis.

Consequentia materialis est, quæ tametsi ipsa in se bona sit, iuxta eandem tamen argumentandi formam in alijs terminis non ubique firma est ac cõstans, hoc est, quæ bonitatem suam ex rerum quidem significatarum habitudine sortitur, sed adeò debiliter, ut eadem forma seruata, similis assignari possit mala. Cuiusmodi sunt Enthymemata & Exempla, ut latius dici solet in materia locorum. Exempli gratia: Homo est animal, igitur homo est substantia. Materialis consequentia est, ex sola generis & speciei habitudine firmitatem habens. Id quod facile ostendit similis formæ consequentia, sed mala, qualis hæc est. Homo est animal, igitur homo est lapis.

Animaduertendum tamen est hoc loco diligenter nullam consequentiam ex fortuita quadam rerum habitudine robur ullum habere, quasi bonam rectè consequentiam dixeris, cuius antecedens aliquo (ut loquuntur) casu fingi potest, non posse uerum esse sine consequente, cum econtrario potius bona censeatur, ea demum, si nullo casu uerum esse antecedens queat, quo consequens sit falsum.

Tertium est.

Similis Ampliatio & Restrictio terminorum, Quæque plures sunt Logicæ proprietates. Quod in causa est, cur dissimili forma hæ sint: Omnis homo *fuit animal*, Omnis *equus est brutum*.

Quartum.

Idem numerus & ordo terminorum, præsertim si transpositio mutet significationem. Cæterum *quod ad syllogismos attinet, an mutatio numeri formam semper mutet, intelligi ccommodius poterit ex ijs, quæ in primo* Priorum *tradentur de* Syllogismo*rum forma.*

Perfecta *ex his propositionum, quibus consequentiæ constant, inter se consimili forma, etiam consequentias forma haud quaquàm dissidere iudicandum est.*

Illud *quoque aduertendum est, subinde materiales consequentias appellari formales non simpliciter sed cum determinatione: formales uocando formalitate loci.* Sic *enim loquuntur, hoc est, ita formales ut argumentis per locos* Dialecticos *formatis sufficiat.* Et *hoc modo appellant formalem consequentiam, cui non datur similis mala ex eodem loco* Dialectico *sumpta, id est, eadem seruata terminorum habitudine, quod in secundo* Topicorum *latius debet declarari.*

Sed hæc pro loci præsentis exigentia ita attigisse sit satis. Nam exactius ea trectare, altius aliquid est, quam præsens Isagoge postulat.

Malas igitur consequentias negamus semper. Bonas uero concedimus, etiam materiales duntaxat sicut ueras propositiones diximus admittendas, falsas semper reijciendas, dictorum exemplum hoc esto Defendẽti, uoluptatem esse summun bonum, sic ad obiecta respondendum est. Tu sic argumentaris: voluptas non est diuturna, ergo non est summum bonum. Voluptas non est diuturna Nego Antecedens: hoc dum sic probabitur, non est perpetua, ergo non est diuturna: Vbi is resumpserit, dicet, Nego consequentiam. In cæteris similiter agendum.

FINIS.

Romæ apud Valerium Doricum & Aloysium Fratres Brixien. Anno Domini

1 5 5 3.

